

















VI
COLLE.
1521



910.

PANDVLPHI COLLENVCII PISAVRENSIS APOLOGI IIII



ARGVMENTVM

Murcea Ignauiæ et Inertiæ, Agenoria uero Diligentiæ atq; Negocii præsides deæ, Romanis olim cultæ, sed et omnem mortalium uitã pro cuiusq; studiis distinguentes, Huic Apologo materiam præbent, quo Inertia, Fraus, Hypocrisisq; taxãtur. Labor uero, uirtus, et ars extolluntur, Et Iouis decreto rerum mutatio portenditur.



AD Illustriss. Principem, Herculem Estensem, Ferrariensium Ducem Inclytum, Pandulphi Collenucii Pisaurensis Iurisconsulti Apologus cui titulus

AGENORIA

INERTIAM natu inter filias minorem, fatuam alioquin, atque instrenuam fœminam, Sed cui blanda species, atque allectrix esset, Labori communi gentium deo, Orcus pater uxorem dedit, ingentes (ut est locuplex deus) dotis nomime diuitias pollicens, Si ex ea liberos gigneret, Futurum nanque prædixerant PARCAE, Vt uiro quidem obtemperans, filias septem pareret, quarum nomina ea latina littera inciperent, quæ nisi contractis in orbem prominulis labris uox efferatur,

Inertia

Labor

Orcus

Oraculum

enunciari non potest, Illas uero omnis mortalium cura cōsectaretur, uenerarentur, coleret. At si cœlebs perduraret, procorum petulantia, deteriorem longe prolem ederet, quæ et familiæ dignitatem, et rem familiarem euerteret. Nuptiæ igitur magno sumptu, insigniq; apparatu, in æde lariū instructæ sūt. GENIVS uerba fecit, Domitori uictoriq; rerum omniū uiro, nupsisse speciosissimam fœminam, ea si illi obsequens esset, si nihil eorum fugeret, quæ uir initio quidem subausterus, ac difficilis imperaret, pulchra de prole matrem matronamq; futuram, eum esse uirum qui agros excolat, qui maria traiiciat, qui urbes extruat, ciuitates faciat, tueatur, augeat, Eum esse qui heroas olim priscos illos æternitate donauit, qui HERCVLEM deum fecit, cuius ope tandem celsa illa atq; immortalis Respublica, quæ summo illi atq; immobili extimi orbis conuexo nititur. Tot, tamq; egregiis illustratur ciuibus.

Genij sententiæ coniugio Laboris et Inertiæ

Hercules

qui sanguine nobis hanc patriam peperere suo, Quod felix igitur faustumq; esset, iret fortunata coniunx, nec procorum blanditiis, nec muliebribus assentatiunculis adhiberet animũ, Sed uirũ in primis diligeret, Et quæ est amoris sũma, sese ipsa in illum transformaret. Ita beatissimam futuram, notamq; omnem (si quã forte ex nominis deformitate contraxerat) diluturam. Ea cum perorasset GENIVS, Munera in primis Labor sponsus obtulit, Gallum, Bouem, Asellum, Stimulum, Marram, Clypeum, Gladium, Librum, Pugillares, Sudoris cados tris, uigiliarium modium, curarum scrinia quinq;, ea cum probarent ferme omnes, irridere primum quidem sponsa, mox fastidire occœpit, q̃ indigna (molli alioquin et delicatæ) puellæ uiderentur munera, cui focalia, flammea, sudariola, specula, lectulusq; conuenirent magis. Hinc irarũ causæ, ac dissidii primordia prodierunt. Ita priusq̃ in thalamum

Amoris summa

conueniret, Misso ad uirũ libello hæc mãdauit INERTIA. Quandoquidem o Labor nos adeo contemnis, ut nec iocundiora quidẽ miseris munera, quã facies tua præseferat, conditione tua non utar, Tuas igitur res tibi habeto, Tuas res tibi agito, uale Labor. Ita in diuersa noui coniuges abiere. LABOR se se Mineruæ in famulatũ dedit. Peregre proficisci statuit Inertia. Sũptis igitur quæ opportuna uiderẽtur, una HYPOCRISI comite adhibita, duabusq́ uernulis, FRAUDE, ac DESIDIA, quod secũ natæ atq; educatæ essent, peruagari orbem cœpit. Ad aspectum celebris fœminæ concurrere passim plenis uiis mortales, aspicere, laudare, cum formam, tum comites circũsistere, subsequi, agglomerare se se certatim omnes, ex agris, foro, curia, classe, castris, tabernis officinisq́ effusi, et quacunq; illa incederet comitari gaudebant. Laudare præterea quod trucis uiri dona, coniugiumq́ abnuisset,

Libellus repudij.

Diuortium

Hypocrisis

Fraus

Desidia

Negociosa loca.

indignam fuisse faciem, quæ torui hominis et minime obsequentis nuptiis, asperaretur syluescer etq;. Illa blande comiterq; omnes excipere, affari, benigne alloqui, mollem in posterũ uitam polliceri, curis procul et molestiis uacuam, si se pertinaciter sequerentur, spernerent modo repudiatum a se uirum, se uero, suamq; comitem frugi fœminam, tum ancillas duas (mo dicã scilicet familiã, tãtisper alerent, MVRCEAM Deam colerent, cui non thure aut sãguine, sed sella, et lectulo somnoq; litaretur. His atq; aliis pellacis fœminæ delinimentis in immensum aucta multitudo, dum orbẽ lustrãt, dum mirantur, dũ contionantis Dominæ blandiloquentia detinentur, Deficere paulatim copiæ, Annonæ mox intẽdi pretia, Tumultuari subinde cœptum, Additus turbæ pauor non ficto rumore ESVRIEM, EGESTATEMq;, magnis itineribus aduentare, quæ uniuersum coetum illum dissoluerent, et iam

Inertiæ petitio.

Murcea dea

Esuries
Egestas

in propinquo esse, quippe quæ desertis omnibus, uacuas regiones, ciuitatesq; nullo obsistente facile penetrauerint. Perculsi repetino malo proceres, Inertiam circũsistunt, quid facto opus sit rogitant. Cõsulere in medium iubentur primores, quibus ad molliora sagax ingenium, simulq; referre, qua ratione fugatis pessimis hostibus alimenta INERTIAE comparari possint. Erant inter summates uiros qui nuditatem et collatitias escas, probra, cotumelias, et quid uis indignius patiendũ potius suaderent, q̃ abnegandam Inertiam, Mortem malorum omnium finem solutionemq; esse, æque omnibus expectandam, Interea uiuendum tamen, lætandumq;, dum quid est quod edas, ubi quid secus eueniat, ad ridiculum usq; perferendum, uidere licet feras, atq; expertia rationis bruta, benignitate naturæ sibi sufficere, sic ipsis quoq;, si cœptam semel sectam non deserant, omnia cum naturam, tum fortunam, tum

Desidiosorum consilia

usum

usum ministrare posse, Quid.n.si aliud agentibus ipsis insperatus aliquis Thesaurus appareat? Quid si iactu uel naufragio eiectæ littoribus merces se se inopinato offerant? quid si bella pestesq; hominibus impendeant, metuq; trepidi oppidorum cultores diffugiant, et incustoditas opes negligant, quæ derelicti titulo, in ius occupantiũ cedant? Quid si impendens malorum timor agitet quosdam alios seuere maniũ diræ, terribilesq; a supremo die Rhadamanti terreant sentẽtiæ? Atq; ita uel uotis astricti, uel spe promissæ sceleribus ueniæ ducti nobis largiantur, quæ interea abligurire possimus. Non deesse homines aut clementiæ gloriã affectantes, aut iactantia stolidos, aut precantibus faciles, qui uestem, qui cererem, liberumq; ministrent. Atq; (ut deficiant singula) esse publicas ædes quæ passim excipiant, esse ciuitatum porticus, et fortuitas habitationes, uestibula, fornices, Dolia quoq; domorum interdũ

Desidum spes

uicem præbere, Quam nam regionē eſse rerū omnium tam expertem, tam indigam, quæ non fœnum, non paleam ferat, optimum ſtraguli genus eſse quod sine pretio compares, quod animalium urbanos infeſtantium lectos moleſtia careat, quod amiſsum, rem familiarem deteriorem non faciat, A quam deniq;, et uel ſaxis internatas herbas nulli mortalium usq; deeſse. Eſse et hoc inter uitæ decora non minimam partem, neceſsitatibus obſecutū fuiſse, Dum ne, aut terrenas foſsiones, aut raſtrorum pondera, aut militarem duritiam, aut bellorum pericula, aut dominorum ingenia, aut publicarum rerum anxietates, aut rei familiaris, incōmoda, et circunfuſas undiq; erumnas, dominam deamq; noſtrā INERTIAM fugientes experiri oporteat, Irent alacres, et uenientem Eſuriem Egeſtatemq; comiter exciperent, quæ aut finirentur ipſæ, aut certe finirent, uiuat INERTIA, Nec diſsertabāt

Quæ inertes fugiant

plurimi, quos inter Antisthenes quidã Atheniensis, et Sinopæus Diogenes, et Thebanus Crates, importunæ licētiæ Græculi (ut est loquax natio) magnis uocibus personabant, His ancillarum altera DESIDIA mirum in modũ fauere, orare dominã bono animo esset, esse Græcos homines qui ista suaderent, opinione sapientiæ uulgo celebres, et qui primi fugienti illi uiro suo Labori hospitium denegauerint, Repudiumq; illud suum editis etiam uoluminibus laudauerint, nunq̃ se defuturam, et commorituram se dominæ, bonam modo spem haberet, Prorogatos latissime regni sui fines, Placuisse populis dogmata, iniquum simul impiumq; futurũ si desererẽtur. Quiesceret modo, curãq; omnem amoueret, commonitionesq; græcas (si saperet) amplecteretur. At e plebe media quidam querimoniis complebant omnia, Accersendumq; Laborem potius suadebant, impigrum uirum et fortem, et magnis quondam

Antisthenes
Diogenes
Crates

Desidiæ consilia

Plebeiorum consilia

rebus spectatum, conciliandumque Inertiæ, lente tamen, ægreque in uxoris intimum contubernium admittendum esse, ut quam minimum arbitrii in eam habeat, Tantisper uero eius consuetudinem illi permittere, dum quid ageret, quod Inertiæ commodis utibile futurum esset, quodque ad arcendam ESVRIEM ualere posset, Hæc obstrepente circum multitudine uix exaudita, in irritum ceciderunt, adeo Laboris nomen qualecunque triste horridumque cunctis uidebatur, Cum uernularum altera demisso uultu

Fraudis consilia

FRAVS, Dominæ genibus aduoluta, uitam heræ precabatur, uitam quoque sibi ipsi superstitem si modo darent dii. Nihil esse quod præsentis fortunæ minas formidabiles facere posset, solam se atque unam omnibus suffecturam, Non esse se ex earum numero, quæ ubi Periscelidas, discriminalia, smegmata, cæterumque muliebrem mundum disposuerint, ubi lectos strauerint, mensamque instruxerint, satisfactum

seruitii legibus putent, uerum ex iis esse quæ ea etiam, quæ desideriis uitæ necessaria sint comparent, Magnum sibi in humana ius esse, Multum sibi per lucem licere, per furuū plurimum, Habere se diurnas nocturnasq́ꝫ artis omnes, quibus hostium rabiem retundere, atqꝫ exarmare posset. Versipellē esse oportere hominem, furacem, harpaga, qui Inertiam sectari, qui laute uiuere, qui alere beatam multitudinē uelit, Nec timenda uana illa nomina, quæ sibi instrenui quidam homines quondam confinxerunt, famam, gloriam, laudem charitatē, multáqꝫ eiusmodi, Primam ac summam de censu atqꝫ opibus curam haberi oportere. Hæc ubi affuerint, cætera in tuto esse proinde habere curarent, si uiri essent, Nam unde habuerint quæsiturum neminem, uix esse angulum qui non spargentibus ista græculis ΔΕΙ ΔΗ ΚΡΗΜΑΤΩΝ illud Demosthenis cuiusdā non personet. Rudi illa et agresti sæculo

quondam laudata nunc exoleuisse uirtutū figmenta, Iam famam, gloriam, laudem esse aliud nihil, q̄ inanem populorum rumorem, et uentosa (ut poetarum quidam ferunt) gaudia, quæ summus quoq; dies abscondet, charitate uero quid stultius? quæ hominem in id uecordiæ protrahat, ut de cōmodis sibi detrahi patiatur, Iniurias quascunq; ferat, atq; aliis deniq; bene esse malit q̄ sibi. Quanto salubrius esse, ea uenerari atq; in pretio habere, per quæ cibus, uestis, domus, salus, ocia, deliciæ, mollitiaq; comparentur, quæq; et ipsa, prudentiæ, sapientiæ, dexteritatis, sibi nomen uindicarunt, Astum uidelicet, delationem, dolum, uersutiam, præuaricationem, tergiuersationem, ironiam, assentationem, obsequiū, et nulla unq̄ satis uoce laudatam adulationem. Esse uero in conspicuo cōmodissima exempla, et si inspicere (tanq̄ in speculo) uitas homnium oporteat, quod quidam autumant, uidere licet non in angiportis, aut angu-

lis, neque in conticinio, Sed media luce, in plateis, in foro, curia, Aulis regum, deorumque templis uenaliciarios, Mangones, Proxenetas, Trapezitas, danistas, causidicos, mathematicos, chymistas, scurras, sacricolas. Non alia magis ratione quam sua ope suoque ductu uictricem Inertiam fecisse, suppetere et a brutis, et a sensili animatium genere documenta, quæ cælo terra, marique continentur, non piscem non uolucrem, non gressilem, non reptilem ullam animantem, non denique insecti genus ullum esse, quod non alieno malo, non Fraudis ope, uictum sibi molliorem paret, Naturæ se esse filiam, et ab ipsa nascentis mundi infantia, suas semper artis, mortalium generi commodasse, Multas etiam sibi superesse, non desperaret Inertia, sed Mercurio duce, seque fidissima ancillula, sicubi opus esset aduersus infames deas magno animo grassaretur. Hæc atque alia disserentem Fraudem, frequens subsecutus est multitudinis fauor, Nam

Dolosi artifices

Animantia omnia alieno malo suum commodum augere

Fraus a natura

Mercurius fraudis deus

prӕterq́ quod uera ab ea dici, et usu iam recepta, intelligeret uulgus, A ddebant animos insignes quidam uiri, doctrina pollentes, acres facundia, et (ut sunt Græca ingenia) Oretenus Pilosophi, domesticis exemplis priuatim instructi, Democritus quidam abderites, et atticus Demosthenes, et cuius auctoritatem studiosiores in primis miraretur Aristoteles quidam, Hic et desertum a se magistrum et deceptum amicũ summũ suũ Theodecten, et sublati ueneno regis consciẽtiam memorabat, Ille offas Midiæ, et persicam pecuniam, et Harpali munera, et simulatã anginam, Tergiuersationemq́ in rempublicã ostentabat, Tertius magicas uanitates, et mathematica portenta, et chymisticas mixturas, et flagrantis luxuria, atq; auaritia mentis decipulas afferebat, Tum Stephanũ quendam (et ipsum Græcum) nouum sophistam, et Barbarum Geber, deteriorisq́ notæ homines, quos conphilosophos suos diceret, adducebat,

Vulgus

Greci oretenus Philosophi

Democritus

Demosthenes

Aristoteles

Stephanus

Geber

ducebat, Magna undiq; exempla. Nec ullus ferme fuit in tanto palliatorum grege (conspirauerant.n.cum fœmina omnes) qui non eadē, uel proprio periculo suaderent. Recipere se paulisper, ac respirare uisa est INERTIA cum Græcis exemplis, tum rotata eloquentia, quæ suas illas rationes turbæ penitus infixerat, Animo tamen anxia in ancipiti uersabatur, ut quæ EGESTATEM summū malorum omnium arbitraretur, omniáq; tamen ageret quo illam admittere necesse esset, sed nec priori sententiæ fauendum censebat, quod molliorem uitam, appetitamq; lautitiem et delicatiores epulas (præcipua INERTIAE uota) uel differre, uel interdicere uideretur, FRAVDIS uero consilia, quod ciuitatum legibus, gentiumq; institutis, suppliciis obnoxia, atq; ideo periculosa, uel certe securitati, atq; ignauiæ inimica formidaret, cunctatius audiebat, metū augebat, quod LABOREM

Anceps Inertia

repudiatum quondam uirum, nouam sibi nuptã PALLADIS ope conquisisse, strenuam fœminam, et quæ sæuissimas illas deas in se irritasset, Non nihil'q; ab iis ultionis parari exploratores nunciabant, sed omnem sollicitudinẽ comes prorsus ademit. HYPOCRISIS lenta alioquin, tacita et cunctatrix fœmina, quæ ubi dissidentis uulgi sententias, nutanteniq; dominam conspexit, editum quendã conscendens tumulum, unde et uideri ipsa, et omnibus exaudiri uox posset, manúq; silentiũ indicens ad hunc modum uerba fecit. Nisi me dominæ, deǽq; nostræ INERTIAE eximia charitas, uestráq; in illam studia permouissent sodales, Nec indictum mihi silentium (quo die mysteriis deæ MVRCEAE initiata sum) rupissem, nec ea quæ iis qui sibi solis sapiunt, maxime abstrusa, atq; abdita esse debent, palam fecissem, Nunc, quando per ambiguas fremẽtis turbæ rationes, tumultuantis'q;

Hypocrisis

Hypocriseos Oratio

inuicē Philosophos, eo res nostræ deuenerunt, ut aut subeunda manifesta mendicitas, aut semper formidanda (ceu Tātalo saxum impēdens) legum seueritas, Aut (quod abominor) durissimus hostis LABOR in contubernium admittendus sit, statui et ipsa meam sententiam promere, simulq́ rationem afferre, qua ire periculis obuiam, Ignauiamq́ tueri commodissime liceat, Quod si eam (quā spero) mihi operam dabitis, Dabo et ipsa uobis manum, opemq́ meam mutuabo, ut non tam consilium q̄ auxilium a nobis accepisse uos intelligatis. Verum ut in cæteris quidem artibus ac scientiis, uitaq́ institutis confessa quædam principia proponi solent, a quibus tota deinceps eorum de quibus agitur materia, dispositionem ordinemq́ concipiat, Ita nobis faciendum nunc est, Aperiendæq́ sanctiones, quibus (quasi Symbolo quodam) nos inuicem agnoscentes, omnia consilia, dicta factaq́ nostra ad eas dirigamus. Quæ

Inertiæ pericula

Symbolum

igitur in deæ MVRCEAE, penitissimis sanctuariis habentur, Et quæ quasi nobis primigenia esse debent, ea uos non ignorare æquũ est, semperq́ meminisse conueniet. Ea autem hæc sunt, Si placet, Aduertite

Harpocrates deus

Harpocraten deum sodales colunto.
Ei nulla alia re, sed digito sacrificanto.
Laborem, penitus, prorsusq́ abneganto.
Curã, sollicitudinẽ, cõmiserationemq́ amouẽto.

Leges et placita Murceæ deæ

Securitatem adhibento.
Opes, qua datur, contrahunto.
Oues aureas ne spernunto.
Mensæ, lectiq́ iura inuiolata sunto.
Voluptates, solitudine, cautelaq́ sepiunto.
Personam pro tempore semper gestanto.

Qui secus faxit, INERTIAE Sodalitium eiurasse, Seq́ in perniciem coniecisse conuictus sit. Hæ leges, Hæc INERTIAE sacramenta sunt, Breuibus illa quidem, angustisq́ litteris cõtẽta, sed interpretatiõe diffusa.

Hæc teneamus oportet, Huc consilia referamus, Huc actiones nostras omnis (si uiri sumus) dirigamus, Multi cum segne ocium ignauiamq; magnifico Philosophiæ nomine uelassent, magnis contentionibus, nullo idē censente, dum INERTIAM quærunt, hereses sectasq; instituerunt quidem, Nec tamen quod uolebāt adepti sunt ipsi, Nec adipiscendi præcepta posteris reliquerunt, Nam dū alii Dialecticas ambages, specie quidem tenus subtiles, uel Physicas rationes ut homini incomprehensibiles, sic minime utiles peruestigāt, Alii felicitatem (nescio quam) nusq̄ compertam uel diuinatā potius perscrutantur, atq; ita sapiētes beatiq; nullo negocio uideri uolunt, Et illi aranearum telis persimile quidam fabricātes, Belidibus puellis simillimi apparuere, haurire plenum puteum perforatis urnulis satagentibus. Hi uero dum uano populorum clamore, et inanibus laudantium uocibus capiūtur, insaniæ

Philosophi

primum morbum sibi induerũt, mox in magnas calamitates inciderunt, manifestamq́ꝫ mendicitatem, et auaritiæ ac luxuriæ infamiã subierunt, cui.n.non Aeschines Lysaniæ filius, et tantopere prædicatus ille Platon noti sunt? cui non et Cyrenaicus Aristippus, et Cizicenus Helicon, et Rheginus pithon. At hi pecuniæ et diuitiarum gratia in Siciliam nauigarunt, atqꝫ ita se Dionysii thesauris immerserunt, ut uix inde diuelli potuerint, unde alii uincula, alii exilia, alii mortem pertulerunt. Nonne et Eudoxi Cnidii, et Demetrii Phaleræi celebris fama, Et hi pecuniæ gratia in Aegyptum magno eorũ malo traiecerunt, At Speusippus notus ille Atheniensis ad Cassandrũ Macedonẽ profectus est, et poemata quædam frigida a se composita (pecuniæ gratia) magna infamia, magno omnium risu, in nuptiis recitauit. Ita dum Pergræcari per Philosophiã Græci uolunt, perpeti per imprudentiam didi-

Aeschines
Plato
Aristippus
Helicon
Phiton

Eudoxus
Demetrius

Speusippus

Pergræcari

cerunt. Nobis igitur, ne eadem eueniant curandū est, Atq; illud in primis intelligamus oportet, Nullum homini infestius esse animal q̄ hominem, uerumq; illud peruulgatum uerbum, Hominem homini lupum esse. Atq; ideo diligenter cauendum, ne ulla mentis nostræ pars nuda, intectaq; hominum oculis relinquatur, Omnia uel pertinaci silentio, uel honesta professione uelanda sunt, Aliena uero secreta callidissime peruestiganda, expiscandaq;. Nullū enim aut ad æstimationem augendam, aut ad rapiendos, continendosq; in officiis homines, uel aptius, uel tenacius uinculum. Simplicitatis uero fauorabile quidem nomē retinere oportet, Rem uero ipsam, ut stultam periculosamq; repellere, Olei.n.instar simplicitas est, Intus quidem insalubris, salubris foris. neq; ullus affectus est, qui aut perniciosior nobis, si ab eo teneamur, aut fructuosior, si illis insit, quibus cum uersamur, Si præsertim uel in opulento

Homo homini lupus

Secretum

Simplicitas

Oleum

sene, uel locuplete matrona, uel prodigo adolescente inueniatur, Cum agendū quippiam nobis offertur, tam et si compēdii speciem præseferat, considerare ante omnia oportet, an ullum in eo sit Laboris inuisi nobis hostis commercium, Quod si uel tenuis eius suspicio deprchendatur, Amoliendum protinus. Acer, Durus, Difficilis, Asper, et (ut poetarum quidam cecinit) improbus deus est LABOR, et Inertiæ peruicax (si admittatur) domitor. Hunc igitur maxime deuitare oportet, sollicitudinis, curarumq; parentem. Quatuor uero cum sint quibus maxime negocia, anxietates, mentisq; perturbationes importantur, uxor, Aula, nauis, Ager, Ea modis omnibus fugienda, cauēdumq; maxime ne nobis cum illis quicq̄ unq̄ conueniat, Nam si aut illa tractare, aut in illis omnino uersari forte cōtingeret, continuo in laboris ditionem uincti traderemur, Magnum tamen in his temperamentum adhibendum est, Non

Labor omnino uitandus

Vxor
Aula
Nauis
Ager negociosissima

enim

enim usque adeo fugienda sunt, ut si aliena uxor (modo dapsilis sit) aut credulus rex, opinionisúe captator, modo largus sit, in retia incidant, illi arcendi sint. Nec nauis si quo necessario eundum sit, gratuito præsertim nauclerio, dum in ea nihil agatur repudianda est. Nec ager si fœcundus sit, si donetur, legeturúe, recusandus est. Hæc enim si nobis ministrent, Inertiæ gratissima instrumenta sunt, si a nobis ministrentur hostilia. Huc pertinet grāde illud aurearum ouium mysterium Sodales, nec aliud priscos illos Inertiæ proceres, per Iasonem, heroasque comites, decantatumque illud aureum uellus, ac Medeam signasse arbitremini. Ego illa tum Medea fui, ego artes illas ueneficiaque perdocui, quibus peruigiles illi cautorum hominum oculi præstringerentur, et arma illa auariciæ præsidia retunderentur, Dū callidi, et uirtutis opinione celebres uiri diuitē illum regem et bruto uerueci comparatum expoliant.

Oues aureæ

Iason

Medea

Aurei uelleris allegoria

Pro corpore ſtudium

Vos quoq; ſi dulce hoc cognatumq; nobis, et chariſsimum corpus alendũ, curandumq; eſt, quod eſse aliquid sentimus, et scimus, sine quo nihil agimus, nihil sumus, unde omnis gratia, lepor, suauitas, quies, uoluptasq; proficiſcitur, propter quod maxime uita omnis expetitur, Me conſultrice, Me comite, et si præſente INERTIA nomen hoc occupare fas eſt, Me duce, aggredimini tutum opus Sodales, ac non difficiles machinas expedite, quibus ESVRIEM, EGESTATEMq;, peſsimas feras peſsundemus. Abſterrendi primum frenandiq; sunt, duri, difficiles, moroſi, docti, oculatiq; homines, quibus ocium noſtrum inuiſum eſt, qui illas in nos irritant, iis deorum metus opponendus eſt, Nam hominum quidem, sæpe gratia nonnunq̃ precio, sæpius ueritate (si admittatur) excutitur, Maxime igitur deorũ cultum prætendamus oportet, eorumq; nobis non naturam modo, ſed mentem quoq; percognitam

Hypocritarum artes

esse per Philosophiam, per oracula, per conquisitas undique præstigias (quam maxime fieri potest) persuadeamus, polliceamurque, quæ a nobis præstari non possunt, inuisibilia. Familiaria nobis numina, et muneribus placabilia insinuemus, uox, uultus, gestus, ad seueritatē atque constantiam nonnunquam ad hylaritatem, facilitatemque cōponenda sunt. Fastus etenim, arrogantiæ, inuidiæ, nequitiæ, maleuolentiæque (cognatarum nobis affectionum) species, alienis opibus prætexendæ sunt. Vestitus, tegmētaque nobis comparemus, qualia primi illi prodigiorū repertores Græci palliati Sophistæ cōmenti sunt. Personatos esse oportet, si sapimus, Semperque aliquid cōminisci, quo sacrum illud latibulum, sanctumque silentium referamus HARPOCRATI, non uitæ modo cæteris rationibus, sed tricliniis, cubiculisque (quibus tandem deuoti dicatique sumus) necessarium. Aues esse existimate aliud agētes mortales, ciuitates uero

Hypocritæ uitia

Pallium a græcis

Harpocrates

Areas, quas ubi concinnaueritis, umbrasq; et rerum imagines (quas modo dixi) laruasq;, et quicquid arcanũ MVRCEA docuit, quasi escam effuderitis, uos aucupes esse mementote, qui assultantis uolucres facile ræatibus implicetis, si ut illi faciunt, sic uos quoq; latitantes, silentesq; inescari illas patiamini, Quare agite promptissimi sodales, Resumite animos, nec suauissimam deam INERTIAM deserite, si pro ESVRIE saturitatẽ, pro EGESTATE opulentiam, pro LABORE quietem, si deniq; (triumphatis hostibus) ociũ securitatemq; adipisci cupitis, Amplectimini salutaria quidem, ueraq; consilia, aut si maultis præsidia, dicatum uobis hoc caput meum periculis obiicite, meq; primam semper ante aciem locate. Quod si plura a nobis fortasse, q̃ quæ memoriæ cõmendari possint, præcepta data esse uidentur, paucissimis uerbis cuncta cõplecti possum, deuotum hoc pectus aperiam,

Murcea Hypocritæ aucupes

Reuelabo sacramentum, Meq; ipsam totam uobis insinuabo, Si pulcherrimum Græci hominis (et quidem Philosophi, uobis Elogiū tradidero, uos illud suis uerbis græca fide colligite. ΤΑ ΚΑΛΑ ΜΕΝ ΛΑΛΕΙΤΕ, ΑΛΛΑ ΤΑΥΤΑ ΜΗ ΠΟΙΕΙΤΕ, ΤΑ ΚΑΚΑ ΔΕ ΠΟΙΕΙΤΕ, ΑΛΛΑ ΤΑΥΤΑ ΜΗ ΛΑΛΕΙΤΕ. Hanc orationē incredibilis omniū plausus subsecutus est. Erecti multitudinis animi, non aliterq; q̄ nouis principibus acclamatum, laudare omnes facundiam, laudare prudentiam, tum singula orationis capita, Præcipue uero postremum illud Elogium ad cœlum tollere. Solum id esse INERTIAE munimentum, solum præsidiū, satis singulis cautum esse, si salutaris præcepti memoriam sibi quisq;, usumq; præsumeret, leues quidem semper Græcos, sed tum maxime stolidos fuisse, cum uilissimorum holerum Raphani Betæq;,

Græcum elogium

Hactenus Hypocrisis

Raphanus Beta

Delphico

Aureum argenteumque simulacrum Delphico Apollini dicauerunt, Hoc præceptum nō auro argentóue, sed gemmeis litteris insculpendum fuisse, utiliusque aliquanto, quam decantatam (nescio quam) in eiusdem dei templo sententiam, qua

Cognosce te

se quisque cognoscere iuberetur, Raram quidem, factúque longe difficillimam, et quæ mortalium contigerit nemini, Melius nanque succedere, si enitantur homines, ut cæteros quidem cognoscentes, a nullo ipsi cognoscantur, orationi fidem augebant, uenerabilis fœmine aspectus,

Hypocriseos qualis

rarus in publicum egressus, uelata pars oris quo decentior, mansuetiórque uideretur, oculi ad grauitatem compositi, Sermo comis simplicitati propior, sed qui praui ingenii maligníque indicia, altius intelligentibus præseferret, dimissa contione, læti quisque in tabernacula se receperunt, ac digito ad os reducto, pressisque labiis.

Silentium Harpocrati

HARPOCRATEM uenerantes, continuo sibi quisque saga, uelamentáque circūponere

Pulla, Candida, Leucophea, Pallia, Togas, Cycladas, Cucullos, amictusq; uarios, derasis uel detonsis capitibus quidam, quidã impexis, Promissæ multis barbæ, Abrasa multis cum mentum, tum mustax, tam uariæ linguis gentes, q̃p pertinax uestis mentis manusq; cum uoce et professiõe dissidiũ, Vertũnos omnes ac Proteos diceres, Tuti adeo repressis ESVRIES, EGESTATISq; conatibus grassabantur, nihil illis imperuium, nisi sicubi uiarũ angustiis LABOR præsidia opposuisset, Illa nãq; (non secus ac chalcedonum saxa Pelamides deuitabãt. Hic rerum status, hic prouinciarũ habitus fuit, peragrãte orbẽ INERTIA, cum interea LABOR, et ipse cælibatus impatiens, ubi se repudiatum agnouit (ut est impiger deus) adiutrice MINERVA uxorem duxerat, antiquæ nobilitatis exempliq; fœminam probam, prudẽtem, strenuam, et cui nihil eorum deesset, quæ desiderare

Habitus uarij

Vertũnus

Proteus

Pelamides

Altera apologi pars

Labor

coniugiis sapientes solẽt, nõ forma, nõ uigor, nõ genus, non industria, nomẽ huic AGENORIA fuit, Indefessa uirtute maritum quocunqꝫ iter intenderet sequebatur, hãc VSVS pater ingenue educauerat, digredientemq́ꝫ ab se monuerat, ut laborem quidem uirum diligeret, A muliercularum uero quarundam consuetudine prorsus abhorreret, inscitiam in primis ab se repelleret, malorum omnium parentem, quæ id maxime efficeret, ut necessaria nescirentur, Plurima.n.esse quæ melius ignorentur. Adhibendum uero iudicium, ne dum inscitiã fugeret, plusq̃ opus esset, aut minus q̃ deceret, saperet, Socordiam uero, ignauiam, desidiam, negligentiam, pigritiem, incuriam, INERTIAM, sordidissimæ deæ Murceæ famulas, ne usu quidem dignaretur, Ociose uero ne tempus tereret, Neu uana disceret, neúe insuper uacuis uersaretur, ageret sẽper aliquid, meminisseiq́ꝫ, impossibile esse, nihil agentem bene agere, simulq́ꝫ

Agenoria

Vsus

Vsus ad agenoriam monimenta

Murceæ famulæ

mulq; q nihil agendo homines (auctore Romano quodam homine) male agere discerent. Diligentiam igitur in primis coleret, sobrietatē adamaret, Fidemq; seruaret, tum datas sibi comites omni studio tueretur, esse in fatis si paternis quidem monitis obtemperans esset, ut pulcherrimæ prolis parens efficeretur, Septem enim parituram filias, quas qui non appeteret, nemo unus hominū usq; inueniretur, hoc LABORI uiro summum rerum omnium patrem IOVEM indulsisse memorabat. talibus atq; aliis monimētis instructa AGENORIA dictis sedulo obsequens in coniugiū LABORIS uenerat, comites ei Pallas dederat nobilissimas fœminas apud se liberaliter educatas, cateq; et cordate simul eruditas, POLITIAM in primis longe omnium clarissimam quæ cæteris quoq; præscriberet quæ illas facere quantumq; oporteret. OPIM preterea, PALEN, ARACHNEM, LA-

Artes ad delitias parandas

Fatū de Agenoria

Pallas

Agenoriæ comites

Politia

Op is

Pales

Arachne

Larunda

E

Doris
Bellona
Panacea

RVNDAM, DORIM, BELLONAM, PANACEAM, Has Agenoria deseruit nunq̃, sed neq; illæ Agenoriæ defuerunt, nam domi forisq; sēper præsto fuere, noctu, interdiuq;, etiam cum in cubiculum quietis gratia coniuges conuenirent, illæ pro foribus excubias agebant. Itaq; ubi Politia locum condendis oppidis sedemq; delegisset, illæ continuo fruges, pecus, uestem, domos, merces, tutelam, sospitatemq; parabant, penum struebant, necessaria cuncta importabant, ita cum beatam uitam ducerent, nullius omnino indigam rei, quæ mortalibus oportuna uideretur (nondum.n. Aegyptiæ superstitiones græcaq; portenta eorum urbes inuaserant) maturo partu, mira populorum lætitia, septem ædidit AGENORIA filias, diuina omnes forma maiestateq; cōspicuas, cum de nominibus quæreretur, respondit numen, ea uocali latina littera quæ una figura Græce scribi non posset

Comitũ agenoriæ munera

Agenoriæ partus

incipientia nomina filiabus imponerent, id elementũ esse grãmatici interpretati sũt, quod. V. dicerctur, eam igitur quæ primo in lucem edita est VITAM nuncuparunt, sex deinceps quæ ordine sequebãtur, VALENTIAM VIRTVTEM, VICTORIAM, VBERTATEM, VERITATEM, VOLVPTATEM nominarunt, Hoc ea numinis prouidentia factum esse arbitrabantur sapientes, quod hostiles aduersus INERTIAM animos gererent, illa autem (græcis maxime) cum litteris tum artibus aleretur fouereturq;. Erant in omniũ mortalium uocibus, uotisq; puellæ, nec quisq; in immenso illo numero tam mentis expers fuit, qui non illas ad se allicere, sibiq; conciliare omni studio niteretur. Quin et ipsa INERTIA illaq; ingens clientum eius turba (tam etsi aduersus earum parentes implacabile odium gererent) duas tamen ex illis (spretis quidem cæ-

V. littera
Agenoriæ filiæ
Vita
Valentia
Virtus
Victoria
Vbertas
Veritas
Voluptas

Vbertas et Voluptas solæ inertibus expetuntur

teris) VBERTATEM scilicet VOLVPTATEMq; adamabant, nihil intentatum relinquentes FRAVDIS et HYPOCRISEOS ope, quo illas (clam parentibus quidem) in contubernium sibi adsciscerēt. Ante omnia uero, ne id resciscerct VERITAS soror magna cautela obseruabant, neq; enim dubium erat, si illa insidias detexisset, quin omnes in EGESTATIS uincula cōtinuo dilaberentur. Coercere interea uirgines AGENORIA hortari comites, ne filiarū tutelam, coeptumq; opus per torporem desererent, néue illas ab indignis hominibus usurpari sinerent. Instare etiam LABOR, obsecrare, increpare, monere, ne pecora inter inertia formosæ adeo, et tantis artibus quæsitæ puellæ, abutendæ per somnum traderentur, Dato pariter HERCVLI negocio (nam is LABORIS perpetuus comes aderat) ut adhibita etiam ui, clauéq; (si id ex usu esse

Veritas

Hercules

uideretur) Murcealium epulonum petulantiam cohiberet, sed nulla uis, nulla custodia satis fuit, quin FRAVDIS, HYPOCRISEOSq; imperiosissimarum fœminarũ machinamẽta, in AGENORIAE quoq; castra ipsa penetrauerint, Inertiamq; eius opibus copiosissimam facerent, adeo fatalis omniũ Ignauia mentes oculosq; præstrinxerat, quinetiam, et quod magis mirere, una puellarum VIRTVS ipsa succumbere uidebatur, nam et uociferãtem DESIDIAM conspicata, et Rabulas quosdam, qui se Philosophos dicerent, atq; ideo omnia sibi licere arbitrarẽtur, alimenta flagitantes, neq; despexit ipsa, neq; faciem auertit, sed escas stipemq; præbens. His inquit nõ ut hominibus (indigni.n.gratia qui a nostro genere alieni sunt) sed ut homines demus, ita Inertiæ comites partim quo pollent astu, partim puellarũ facilitate, in LABORIS et AGENORIAE peculium

Murceales epulones

Virtus

Iuppiter

irruperunt, in hoc æstu rerum Iouem optimũ maximum adire placuit, id ex omnibus consiliis conducibile solum uisum fuit, neq; .n. esse mortalis prouidentiæ tantũ opus arbitrabãtur. Eum igitur adeuntes LABOR in primis AGENORIAq́;, tum comites, et uenerabilis procerum turba desperatis iam rebus opẽ ferret præcabãtur. Querebatur ĩ primis POLITIA (nam illi dicendi prouinciam demandauerant) corrumpi iam mortalium societatem, corrumpi Harmoniam, qua pulcherrime quondam stetisse orbem memorabant, Esse genus quoddam hominum, qui infames quasdam deas terris induxerint MVRCEAM, Inertiamq́;, illisq; quæ non compararunt ipsi placamenta sacrificarent, qui non de suo Pergræcarentur, scortarẽtur, potarent, alienisq́; sudoribus partas opes, DESIDIAE FRAVDIS, HYPOCRISEOSq́; præsidiis fulcti absumerent. LABOREM uero,

Politiæ ad Iouem orantis sententiæ

Murcea et Inertia infames deæ

AGENORIAMque (qui primi mortalibus colendi dati sunt dii) ab ipsis sperni, conferri uero ab his nihil, quod in comunem usum facere posset, aspiceret Agenoriæ comites, dare OPIM reipublicæ, fruges, uinum, oleum, salem, lignum, linum, milleque alia humanis usibus necessaria, PALEN uero iumenta, ueterina, pecora, cohortalia, lanam, lac, omnisque quæ illam sequuntur comoditates, Arachnem et ipsam, qua est industria, uestem, tegmina, stragula, Peripetasmata, quæque usum in castrorum, et miseris uelamina nautis adhibetur præbere. Larundam domos conferre, commodas habitationes, templa, mœnia edificiaque omnia quibus salubrior uita coparatur. DORIN non deesse et ipsam, sed longe lateque uagantem, nauigatorium omnem usum, instrumentumque parare, quo specierum mercimoniorumque conuectatio urbibus necessaria facilior habeatur. Bellonã itidem generosam fœminam, gladios,

Labor et Agenoria primi dij mortalibus

Artium munera

Agricultura

Pastoralis

Lanificium

Ædificatoria

Nauigatoria

Militaris

scuta, machinas, armaturamque omnem tum bel-
licum apparatum, militariaque omnia instruere,
puluerem, sudorem, sanguinemque castrorum,
uulnera quoque et mortem non refugere, quo ur-
bium tutelæ prouidentius caueretur. Panacea

Pan
Medicina

uero quid intentatum, inexpertumque relinque-
ret, quo hominum utilitati publicæque saluti uiam
adstrueret, Mare illam terrasque percurrere,
nec animantes modo et ea quæ summa tellure
nascuntur, folia, flores, frondes, fructus, sed
quæ subcutanea quoque sunt, radices, fibras,
bulbos, callos, quin et in ipsis etiam terræ uisce
ribus metalla scrutari, quo Sospitas, Incolumi-
tasque seruari possent, quo lapsis morbo corpori-

Ciuilis

bus medicamenta præberentur, Iam uero se
quid ipsa præstaret, uel nominis argumento,

Ciuilis disci plinæ mune-ra

in propatulo esse. Ad probitatem in primis se
homines instruere, bonas artis inducere, ad
recta studia cohortari, rem familiarem curare,
publicam formare, componere, militarē disci-
plinam

plinam exercere, religionem deorumq; cultum (eum scilicet qui spiritu, et ueritate continetur) ostendere, iura cõscribere, magistratus creare, præsto omnibus esse, per quæ ciuitas bene beateq; gubernari possit. Iniquum uero esse, si qui ista non curant qui nihil agunt, qui publica fugiunt, coniugia contemnunt, qui naturæ tributum non referunt, qui in pulcherrimam hanc ciuilemq; societatem nihil nisi uerba et inanes sonos, fumosq; conferunt, societatis fructũ capiant. Esse alios qui turpes delicias, et inconcessos amores sectentur. Alios qui magicas obscenitates, qui chymisticas spes, qui remotioris græciensis scientiæ uanitatem, qui superstitiones, uetera odiorum nomina, et prioribus damnata sæculis prætexãt, clancularii, nocturniq; homines, malo geniti, poetarum simiæ, dum interea sanctissimæ deæ AGENORIAE fructus ipsi ad compendium referãt, atq; Inertiæ alimenta conquirant, adhibendum

Contra inertes

malo remedium, exercenda iam fulmina, aut si id (qua est clemẽtia) recusaret, mittendũ POLEMVM, seuerum deum, et magnis semper rebus, casibusq́ue seruatum, qui temporum labem uitiaq́ue corrigeret, ignauum fucos pecus a præsepibus arcendum esse. Pulcherrimas uero puellas (uerum Iouis ipsius munus) tueretur ipse, ne indignorum manibus ueluti prostitutæ dederentur. Hæc acri intentione, miroq́ue oculorum uigore orantẽ POLITIAM, simulq́ue uirgines ostentantem, diuorum fauor omnis cõmendauerat, IVPPITER uero (efficax adeo ueri numen) AGENORIAM complexus, simulq́ue uirũ exosculans, Agite inquit, strenui, Agite fortes, cælo nobisq́ue grati. Inertiam terris dedit ORCVS pater, idem illã cõtubernalesq́ue uiuctes ac uita functos accipiet, suis furiis uexentur ignaui, DESIDIAE, FRAVDIS, HYPOCRISEOSq́ue cõmenta miseros agitet sodales suos. Vos ueræ

Polemus

Hactenus Politia

Iuppiter

Iouis decretum

probitatis milites, HERCVLE duce, alacres lætique certate, studiis optimis, commissisque uitæ muneribus incumbite, non uanis Apii Oleastriue sertis, sed quæ legitimis pugnatoribus debetur, felicitate coronandi. Ea cum dixisset IVPPITER, uirgines omnes complexus, earum priores quinque, fortioribus strenuisque semper adesse imperauit. VERITATEM uero VOLVPTATEMque apud se esse nudas apertasque uoluit, exutæ mortalitatis solatium hominibus futurum, Earum autem imagines uelaminaque circumferre POLITIAM iussit, quas inspicientes excellenti ingenio præditi uiri assequendarum quādoque uirginum certissimā spem, argumentumque conciperent. Tum calliopen ab ceditissima cœli parte, quanta maxime uoce posset, Hæc mortalium generi denunciare iussit oracula

Hercule duce

Apium Oleaster Græcorum præmia

Fælicitas præmium

Veritas et Voluptas solæ apud Iouem

Veritatis et uoluptatis imago

Calliope

Desperate animis fictæ mala crimina mentis
Posse latere Iouē, genus o mortale, dabūtur
Proemia, nec semper felix dolus, omnia certus
Reddet aperta dies, sed nec sibi fata noccētes
Disponunt pigri, nec inertia temperat urnam.
Tēpus adest, rerūq; nouus nūc uertitur ordo.

F I N I S

ARGVMENTVM

Aurum ac sapientiam ad utranque fœlicitatem mortalibus instrumenta esse posse, ueram quoque Philosophiam, non doctrina, sed uita constare. Sed cum necessitati parere homines oporteat, æquum esse uiros potentia illustres, uirtuti opem ferre, quæ a fortuna destituta sit.

AD Illuſtriſſimum Principem, Herculem Eſtenſem, Ferrarienſium Ducem Inclytum, Pandulphi Collenucii Piſaurenſis Iuriſconſulti, Apologus, cui Titulus

MISOPENES

u Enales ad haſtam Mango ſeruos adoleſcentes duos cauctionans oſtentabat, Egregia utrūq; forma, Marem quidem alterum, cui Chryſio nomen fuit, Fœminam alterā Sophiam dictā, Sed Chryſio quidem pallidior paulo uultus atq; inſcriptus erat, Sophiæ uero cœleſtis pene facies, uerum inculta et neglecta forma. Hos mirum in modum, atq; incredibilem ſpectantibus cōmendabat Mango, in tanta ſexus, generis, ætatis, ordinis, ac formæ differentia, pariſſimos prorſus illos eſſe induſtria, ac poteſtate dicebat, Diſſimillimosq; homines perſimi-

lia efficere affirmabat, Itaq; licitantes clamitans hortabatur eos sibi seruos comparare, qui beatos possessores facturi essent. Erat inter licitatores Misopenes quidam Peniates (ut ferebant) Philosophus, Hic in adolescentem (ut qui Græcus ac neq; cæcus esset) oculos coniecerat, Mangonemq; rogauerat, uti precium indicaret, Ille de precio quidem conuenturum se respondit postea, suadebat uero ut puerum inspiceret prius, Tum si rebus suis conuenire illum arbitraretur, indicaturũ precium. Chrysium ergo ipsum interrogare Misopenes primum statuit, quod mancipiorum emptores solent, Sanus ne esset an morbosus uitiosusúe, qui nam usus ex eo esse posset, et quid esset, quod de se ipso alienus futurus seruus domino polliceretur, Itaq; adolescentem perconctari ad hunc modum Misopenes cœpit.

Dialogus

MISOPENES Heus inq̃ adolescens quo te nomine parentes nuncuparunt tui?

Chrysius

CHRYSIVS, Chrysio. MIS. Elegãs certe nomen, et uocatu cõmodũ, sed et genus effare, tũ parẽtes, tum patriã Chrysi. CHR. Mihi quidem o here, genus non ignobile, sed nec tibi ignotum arbitror, Nam a magno illo dite Saturni filio longa successione per telluuionem ac tellurem originem duco. MIS. Vetustissimũ sane genus, atq; Heraclidis ipsis antiquius. CHR. Parentes mihi ArgyroZous, et Thiona operosi homines, nec exiguam uitæ utilitatem impendentes. MIS. Hos ego qui commemorarent audiui sæpius, ac uidisse me quandoq; memini, sed nullum mihi cum illis unq̃ negocium fuit, nisi quod antelucanis lucubrationibus, lucernã aliquando nobis accendit Thiona. CHR. Patria uero mihi eadem quæ gigantibus. MIS. Ergo et tu gigantum conterraneus es? Eorum uidelicet qui manibus magnum rescindere cœlum aggressi sunt, qui montes montibus quondam superponebant.

Dis Chrysij genus

Heraclidæ

Argyrozous

Thiona

Patria

Gigantes

CHR. Eorum plane, ac ne me illis deteriorem putes, Ego gigantes uiribus longe præcello. MIS. Viribus? Nunquam ego edepol gigan teis esse uiribus uenale mancipium adducar, ut credam. Verum perge adolescens, nec succenseas percunctanti, æquum est dominum qui nouitium seruum ueterem in familiam introducturus sit, et nationem, et consuetudinem et mores, tum corporis morbos, atque animi uitia perdiscere, artem præterea, facultatem, uires, ac cætera subinde nosse, per quæ emptio grata sit, nec domino stulticiam exprobet. Scis iactari uulgo uetus adagium, Musionem in pera ne emito. Eloquere ergo, Sanus ne es? ualens, firmusque corpore? CHR. Immo uero bene ualentium omnium ualentissimus. Multos inuenies qui cœli grauitatem, qui aquarum mutationem, qui subterraneas humilesúe habitationes non ferant, quibus etiam ignis ipse, uel paululum admotus, noxius sit, Multos itidem qui non paruam esculentorum

In seruis emendis

Prouerbium

Validus Chrysius

partem fugiant, et eorum quoque quae uita desideret, et quae lautioris uitae instrumenta sint, ut aceti, salisque succos quasi abrodentes absumentesque uitales fibras. Nihil est horum, quod ipse metuam, natura ipsa (nouerca alioquin) hoc indulsit mihi, ut quae aliis maxime insalubria putentur, ea mihi penitus sint innoxia, quin etiam (miraculum tibi futurum) Ignis edacissimum uoracissimumque elementum (tantum abest ut admotum ledat) si me totum quantumuis potens circumeat, nihil mihi ex eo deperit, sed uegetior multo ac uigentior inde exeo. MIS. Mira hercle narras. Sed palloris argumento de ualitudine subdubitans, sanus ne esses rogaui, scireque expecto, quae nam suspecti coloris causa sit. CHR. Mirum subit, oculatus adeo cum sis, in eo ambiguum te esse, quod maxime perspicuum uideri potest, circumfer (si placet) oculos, et pulchrum patensque forum hoc circumstantesque tabernas, palatia templaque intuere, et dispo-

Acetum
Sal

Ignis chrysio innoxius

ſitas ſellas undiq́ꝫ, ingentemq́ꝫ illam mortalium
turbã, Vides ut in nos coniectos oculos omnes
teneant, Nemo unus eſt horũ qui non inſidias
mihi inſtruat, tendiculaſq́ꝫ concinnet, quo me
certatim rapiat, ut demirer prorſus quo nam
modo ui abſtineant, patianturq́ꝫ ocioſe adeo
nos uerba facere, Num tibi hæc metus et pallo-
ris iuſta uidetur cauſa? MIS. Prorſus iuſta,
sed id cogitationem auerterat, quod tunicatum
illum uirum, pro templo orantem, atq́ꝫ e subli-
mi suggeſtu clamitantem intuebar, qui acerri-
ma, et formidabili oratione, inſidiantes tibi ab-
ſterreret, Ita illos quieſcentes inferre metum
non potuiſſe credidi. CHR. Erras, nam et
ille, quem truci adeo aspectu ac fulminantibus
oculis quaſi tonantem, minaſq́ꝫ de inferorum
suppliciis ingerentem, iis qui mihi inſidiantur,
conspicis, is ipſe primus eſt qui me innaſſare
(quaſi piſcem) cupit, ac tum laqueos mihi in-
tendit maxime, cum blaterat maxime. MIS.

Cur pallens Chryſius

Innaſſare

Sed tu ualidus adeo cum ſis, ac giganteis (ut ferebas) uiribus superior, cur tantopere horum inſidias pertimeſcis? CHR. Quia eadẽ mihi quæ Antæo eueniunt, tantisper forti dum iactor, terra ue allidor, Rapi alioquin facili. MIS. At cur tibi signatus ſtigmate atq; inſcriptus uultus, fuga ne, an furtum noxaue, an piaculare aliquod flagitium carrucariam furcã ferre, insigniriq; ad hũc modũ coegit? CHR. Nihil horũ, sed per seruitii legem et dominorũ ingenia, prout cuiq; in mancipatum ueni, sic uarias mihi indidere cum sigillorum species, tum nomina quibus dignoſci poſsem, inde mihi nunc Bigati, nunc Victoriati, nunc Philippei cognomẽtum impoſitum, et pleraq; eiusmodi. MIS. Recte tu quidem omnia atq; haud seruili (ut uideris) ingenio Chryſi. Sed si ego te emã, quod tibi nomen imponi uoles? CHR. Pandorus, Nam id mihi ex cognomentis omnibus maxime proprium. MIS. Ediſsere nouæ appella-

Antæus

Cur signatus et inſcriptus Chryſius

Bigatus Victoriatus Philippeus

Pandorus

tionis interpretationem. CHR. Quia qui me habet, omnia omnino habet, per quæ beatus fortunatusq; uitam uiuat mollem, atq; opiparam, quasi qui omnia donem. MIS. Perpulcrũ me hercle nomen. Verum absurdius nihil si res discrepet. Sæpe ego multos uidi speciosa ista nomina sibi usurpantes, cæterum ignauos, infacundos, indociles, immo uero et malos, qui non splendidis appellationibus modo, sed uita indigni fuerint. CHR. Quid si me Iouem nũcupari iuberem. MIS. Hoc ego summũ nuncuparem nefas. CHR. At aliud frequentius mihi apud mortales nullum nomen. Nam et parem mihi, quem optimo maximo cultum magna mortalium pars exhibet, ut qui me etiam uinctu (ut sunt importuni quorundam mores) tenuerunt, habere se domi atq; in arca clausum Iouem dictitauerint, quasi me præsente non secus ac Ioue ipso, quicquid optauerint, uenerit, Domosq;, et ciuitates, et uiros, et tempora, ea

Clausum possidet arca Iouem

maxime felicia dixerint, quibus ego meam operam facilem præbuerim. MIS. Mira prorsus atque incredibilia narras Chrysi, ac uereor ne adeundi ædiles sint (si te emam ac redhibere oporteat, quasi uitiosum mendacem seruum. CHR. Veriora uero sũt quæ dissero. MIS. Age ergo mi Chrysi, Si ego tibi iussero agrum ut colas, ac de sterili frugiferum facias, num id potis es efficere? CHR. Vel littoralem sabulonem, non secus ac Italiæ sumen, uel Africanum BiZantium fœcundum reddam. MIS. Quid si ædes mihi extrui imperauerim pulchras amplas, magnificas? CHR. Vel Romanum Capitoliũ, uel Egyptios Labyrinthos præstabo. MIS. At si amoribus indulgere, uirginesque mihi omnium formosissimas comparare esset animus, Num et in has quoque tibi imperiũ? CHR. Ego Anaxareten, Daphnem, et Dianam ipsam Phrynem faciam, Totque ego tibi pene præstabo, Thaidas, quod fœminas,

Ediles

Chrysij uires agricolationi

Italiæ sumẽ
Biz antium
Africæ

In ædificatione
Capitolium
Labyrinthi

In amoribus

Anaxarete
Daphne
Diana
Phryne
Thais

audiſti ne unq̃ ænea turre incluſam ac custoditam Danaen Ioui obſequentẽ fuiſse? Ego illi comes, ego illi dux fui, ego illam illi tam parentem præſtiti, q̃ uiro laſciuã coniugem. MIS. Cupido ipſe tibi per Iouem cedat, si uera sunt quæ narras. CHR. At telum ipſum quo maxime cupidinem pollere ferũt, quo deos deasq́, atq; hominum genus omne in furias ignemq́ rapit, Ego hiſce manibus fabricaui, id ex me nomen sumpſit, atq; ex eo Chryſeum telum dictũ eſt. MIS. Supplicare ergo tibi, non puero illi oportet, qui amata potiri uelit. CHR. Immo uero mihi, Nõne ego me Iouem nuncupari merito dicebã poſse? dicebam merito. MIS. Sint licet iſta, ut prædicas, belli tamen ac pacis iura tibi sunt nulla. CHR. ignoras (quod pace tua dixerim) quod ignorare neminem, ignorat nemo, Nam et belli me neruũ uulgo mortales uocant, neq; gladii, neq; machinæ atq; ego penetrabiliores efficacioresq́ sunt, Tantum uero in

Danae

Cupido

Chryſeum telum

Bello ac pace Chryſij uires

Neruus belli Chryſius

pacem

pacē arbitrii potestatisq́ est, ut paratos ī cædē gladios manibus excusserim, Galeas detraxerim, manifestam uictoriam de manibus inermis ipse eripuerim, Nec ea modo quæ hominum arbitriis conficiuntur, sed quæ ingeniis quoq́ constant, mihi dum libet parent, Nam et oratores ipse instruo, et poetas facio, et coruos picasq́ humana uoce loqui iubeo. MIS. Facilius ista fortasse, q̄ quæ prudētium consiliis in republica statuuntur, ubi potentiora multo uidentur, quæ uirtute et ciuili gerūtur scientia, in his nullū tibi ius esse propius uero est. CHR. Nullū. Leges, Iura, iudicia, quo libet impello, Testes, tabularii, ius dicētes, legati, præsides, magistratusq́ omnes, minoraq́ etiam officia, nutum uerentur meum. Regibus quid inter homines potētius, terribilius, augustius? At ego regum mētes quocunq́ iusserim rapio, auerto, conuerto, subuerto rursus, Regesq́ ipsos tam euerto q̄ facio. MIS. Huic tam insigni

Chrisij potestas in ingenia

Chrysii uires in iudicijs

Reges

potentiæ non gigantes, sed uix ipse comparandus Iuppiter. CHR. Quid Iouem totiens repetimus? Id temporis, quo beatissimam fuisse hominū ætatē proditū est, nec dum nato Ioue, ex me cognominatū est, ΧΡΕΙΟΕΟΣ

Aureum sæculum

ΑΙΩΝ, ut intelligas tāto me Ioue antiquiorem potentioremq́ue habitum. MIS. Græculus es ut uideo, Nam et nomen ipsum indicat, et uerba nationem olent. Obsecro bone Chrysi, In cælum ibis si iussero? CHR. Cælum,

Chrysea clauis

sed nec cælestes patent ianuæ nisi Chrysea (nam hoc illi ex me nomen) clauis illas patefaciat. Vidisti ne unq̄ senē illum Romæ sūmo

Ianus

templo cōmorantem Ianum gestantem clauem,

Cælum

qua cælum reseret? ea clauis est Chrysea. MIS. Dispeream nisi me ad insaniam loquax hoc redigat mancipium. Tu ne clauē illam confecisti, qua desuper ingens porta patet cæli? CHR. Illam ipsam, immo uero ego senem illum, qui eam gestat ostiariæ præfeci pro-

uintiæ, me comite, me consiliario, me duce, tantũ fastigii adeptus est. MIS. Quid si Thersites aut Phlegyas aut iis deterior aliquis, recludi sibi cœlestes illas fores efflagitet? CHR. Si ipse iussero, si Chryseum illud reserabulum excussero, eodem pene loco, quo puer Phrygius, Tonantis pedibus assidere illos faciam. Phana, Prophana, concessa, incesta, Aræ, Templa, Sacra, Sancta, Religiosa omnia, et quæ etiam hominum cõmercio (per gentiũ instituta) subducuntur, meo arbitratu transigũtur omnia. MIS. Omnia? CHR. Omnia inq̃. MIS. Ergo ut te expetãt omnes, æquum est. CHR. Omnes. MIS. Et omnium tutor, ac saluator es? CHR. Omnium. MIS. Et omnibus præsto es? CHR. Omnibus. MIS. Ergo omnium omne es? CHR. Id prorsus. MIS. Crederem ego istec quæ iactas omnia, sed proprium testimoniũ leges respuũt. CHR. At ego testem tibi uniuersum orbem

Thersites
Phlegyas

Ingens in oĩa Chrysij potestas
Ganymedes

Chrysii co gnomenta

citare possum. Afferre tabulas, Syngrapha, monumēta, atque omnium qui quicquam unquam litteris mandarunt, uolumina, Poetas, Historicos, Iurisconsultos, Philosophos, et eos etiam qui sapientiæ sibi nomen uindicauerunt, Nullum inuenies, qui non me rerum omnium neruum, rerum publicarum columen, futuræ necessitatis fideiussorem, fœlicitatis instrumentum, Regem Imperatoremque omnium clamitet, ac pro me certatim pugnet. MIS. Oportuit ergo, efficax adeo cum sis seruus, te quidem non pro mancipio, sed pro domino emere. nam et Imperator, et Gigas, et Iuppiter cum sis, me quidem seruum, si te comparem, te herum esse necesse est. CHR. Immo uero me seruum, si tu imperes, si utaris, Nam si me domi uinctum torpentemque in tenebris (ceu statuam) cōtinueris, nequissimus omnium futurus sum dominus, qui cibum tibi, qui somnum, qui tranquillitatem auferam, qui te tuo defraudem genio, qui

te tandem furibus, harpyisq; spoliandum, lacerandumq; relinquam, Plurimum.n.interest an habearis, an habeas, tãq; tibi desim, si me habeas, q̃ si non habeas. MIS. Oedipo coniectore opus est, Ita mera mihi narras ænigmata, Si te habeam ne habear, Si te contineam nõ habeam, desisq; si habeam, Sed perge respõde, Pandorus cum sis, cur te non omnes emunt? CHR. Quia sine me, me emit nemo. Ego merces sum, et præciũ. MIS. Et hic quoq; Grypus Sibyllam poscit interpretẽ, Habere ergo te oportet prius q̃ emaris, ut tu emptioni postea accedas præcium. Quid nam igitur me iubes facere, si te tui futurum præcium habere uelim? CHR. Quod cæteros facere mortales uides. MIS. At ego uideo nihil, nam quæ ipse neq; facio, neq; feci, ea facturum neminem suspicor. CHR. Sed docebo ipse te atq; intẽdam (quasi ad fontem) digitum, ascende mecũ, si placet, huc in proximum templi pinnaculum, quo ex ædito

Oedipus
Aenigmata

Sibylla

facilius circũspicias. MIS. Ascendo, quid me iubes circũspicere? CHR. Vides ne chlamydatos illos, liberali facie, blandis uerbis homines compellantes, tum gemmas, argentea uasa, margaritarum lineas, sacculos quoq; a sordido illo sene clanculum capiẽtes, signantes syngrapha, atq; argentum subinde numerantes? MIS. Video. CHR. Ii nisi ut me sibi concilient, aliud satagunt nihil, Supra etiam naturæ potentiã audentes aliquid, ut scilicet quod inanime est pariat, ac sine mare. MIS. Istos ego opinabar esse Vrbanos (ut quidã uocãt) grassatores. CHR. Vides et togatos illos præcipiti gradu fora circumeuntes libellatis manibus ac prostituta fronte, clamores iurgiáq; intendentes? ii nihil quæritant, nisi ut me sibi mancipiũ faciant. MIS. At illos Palatinos canes appellare mortales solent. CHR. Conspicis et ad læuã cucullatos illos, longis palliis, grandia, sublimia, cœlestia, abdita, iustũ fasq; resonan-

Vrbani grassatores

Palatini canes

tes, ii studium omne artesque impendũt, quo me suis commodis obsequentẽ habeant. Nec ullum facile reperies genus uerbis tenus hostilius mihi, re uero mei appetentius. MIS. Sæpe id mihi insusurrauit aliquis, Atque ubi introspexi uerum id esse comperi, quod a sapiente quodam de illis didiceram, Ouina pelle rapacissimos latere lupos. CHR. Nunc purpuratos illos regiam peruadentes aspice, ut quæstores, rationales, uiatoresque secum trahant, ut argentum numerent, annonam erogent, stipendia soluant, pecuniam conquirant, exigant. Nihil illis antiquius, quam dominorũ quidem rem, sed priuatam primum propriamque curare, meque sibi uel peculatu quærere. MIS. Ego illos Aulicos uocabã mures, qui uel ferrũ roderent. Sed in familiarem tandem musipulam, sæpe illos incidisse didici, ac pro spongiis interdum habitos. CHR. Cernis et illum resupina ceruice, locupletem hominẽ, annulatũ, uultuosum,

Lupi sub ouibus

Aulici mures

Pro spongiis

sublimi fastu, Testudineo gradu, undanti chlamyde, porticus illas terentem. MIS. Video equidem, sed hunc phaleratū asinum ciues nuncupāt, Ac mirari mecum soleo, quæ nam causa, tantam illam turbam mastigiæ illi comitem faciat. CHR. Mirari itidem potes, quod mel sequantur muscæ, aut tabidam predam uultures. Sed in gurgustium illud infer acrius oculos quæso. quid illic uides? MIS. Video ego ibi hominem (nisi me fumus et caligo fallat) uitreis sympulis circundatum, herbas pulueresq́; miscentem, chalcantum, nitrum, sulphura, et fluxam quandam (quasi liquefactum plumbum) materiam agitantem, Tum gasteriū nouo quodam cretæ genere obleuisse, eiq; non carbones aut ardens lignum subiecisse, sed flammatam candelam. CHR. Quid illum comminisci, quid tentare iisce artibus putas? MIS. Ignorare me prorsus fateor. CHR. At ille eo me gasterio mixturis illis euocari, includi, gioniq;, posse

Asinus phaleratus

posse

posse arbitratur. MIS. Ergo candelæ unius flãmula atq; exiguo tempore conficere id posse sibi persuasit, quod quingentorum (aut plus eo) annorum spacio, genitorem omniũ solem, montiũ uisceribus scimus gignere? CHR. posse. MIS. Hanc ego occupatissimam uanitatem prorsus esse cõtendo, Sed quid est quod aureas candẽtes laminas, ex igne in aquã (nescio quam) coniicit, rursusq; ex aqua in ignem, sæpiusq; idem factitat? CHR. Ille me quasi Semeles filium potabilem fieri posse uulgo pollicetur, Ita ut nec Aesculapio egeãt qui potet. MIS. Ego potores ad se allicere iis commentis hunc arbitror, quo te illi adducant uinctum, Sed Impostores uulgo dici illos audio, qui ista sectentur, Stellionatus quidem primum reos, mox Nomismatũ adulteros solere fieri, atq; ægregios. CHR. Rem tenes, Sed quid ego singulis commostrandis moræ tantum insumo? intra urbem inspice, Quicquid ergasterius illis

Occupatissima uanitas

Bacchum

Impostores

Stellionatus crimen

Artes pro Chrysio

cædi, tundi, scalpi, trahi, neri, texi, sui, sarcinari, strui, construi, destruiq; cernis, id mihi totum impenditur. Extra Vrbem intende nunc oculos, et castra illa et pelagus considera, tum prælia et concursantes inuicē armatorū globos, et nauium ardentes illas cruentasq; pugnas, Ego illis petor, pro me depugnāt certatim illi. MIS. Nunc quo tua tendat oratio intelligere mihi uideor quasi per Apologum, Hæc quoq; me censes tandem facere, si te habiturus sim. Quid ergo si me ergasteriis illis includam, nun te ego obsequentem habebo seruum? CHR. Immo uero erronem fugitiuumq;, ac uix ea tibi ministrabo, quibus uitam extrema per omnia plebeius ducas cerdo, Teq; ego magistratibus, honoribus, deliciis, uoluptatibusq;, arceri patiar, Et cū spectaculis ac publicis ludis adesse contigerit, In infimos te cauearum gradus detrudi sinā, Et aularum penetralibus extrudi, tum ridiculo haberi, contumeliisq; affici, Sæpe

inquinari sæpe pulsari permittã absens, Tum nomen fidemq́ amittere. MIS. Iubes igitur ne me castris illis, classibusq́ misceri, quo te tandem in usum conquiram meum probum ac constantem seruũ? CHR. Peiora ego multa tibi ex iis polliceor, labores, pericula, uulnera, Et cum me res tuas procurantem in uaria allegaueris ministeria, non redibo, Redibis uero et tu incomitatus, atq; optimo priuatus seruo, risum tandẽ populo et uicinis præbebis senex. MIS. Haud expetẽda sane polliceris. Verũ cum nihil usq̃ sit, quod magis cupiam q̃ te mi Chrysi, explica mihi hunc æstum obsecro, quo te præcio, quo nomismate comparare possum? CHR. Dolo. MIS. Obelo? CHR. Dolo inq̃ non obelo. MIS. Sed cedo, quæ moneta Dolus est? Vnde ego illã indipisci potero? quæ in ea imago, quæ superscriptio est? CHR. Magna tibi explicari postulas mysteria, sed is omnium numinus est ualidissi-

Dolo parandus Chrysius

mus, Hūc si habeas me tibi continuo obsequens habebis mancipium, Si hoc careas, operam ludis. Verum quando tam multis nos questionibus fatigasti hospes, uolo ego te uicissim interrogare, æquum est.n.qualis futurus sit dominus seruum nosse, Nam et hoc facile a mangone impetrare possum, ne me in difficilis domini seuitiam probū et frugi bonæ compingat seruū. MIS. Roga mi Chrysi, respondebo ingenue, Nam tu mihi seruorum omnium dignissimus prorsus uisus es, qui non manumissionē modo consequaris, sed imperium. CHR. Recte tu quidem, Nam cum manumittor, tum seruio. Verum quo te uocāt tui ciues nomine scire primū uolo, nam multos inuenias qui haud meliores sint q̄ eorum designent nomina. MIS. Mihi quidem nomen Misopenes. CHR. Si pares appellationi geris animos, haud dubium quin confestim famulitii mihi præfecturā mandes, meq; pro hero cæteris imperantem et cu-

Misopenem Chrisius interrogat

pita comportantem atq; inuisa submouentem constituas, uerum et patriã (nisi molestum sit) eloquere. MIS. Penia mihi natalis ciuitas. CHR. Ampla urbs quidem ac nobilis, sed profugis infamis ciuibus, quippe quã non secus atq; apulam salapiam oppidani fugiant, ac ueluti pestilentem execrentur, sed quo te genere natũ prædicas? MIS. Harpagonũ quo plurimi insignes uiri prodiere, qui imperia, magistratus, præfecturasq; gesserunt strenue, remq; familiarem ex angusta opulentam reddiderunt. CHR. Mirum te tanto prognatum genere sordidum adeo incomitatumq; procedere ornatu prope nautico, pruinoso pallido, crepidisq; detritis, At qui gentilicium esse in harpagonũ familia scimus, nec chiragris uexari, nec scalis peti, quod manu capi possit. MIS. Verum id quidem, sed meliora parari nobis uetuit hactenus professio, tametsi nec segnis uoluntas fuerit, nec frigidum desiderium. CHR. Quam

Penia

Salapia

Harpagones Misopenis genus

tu ergo artem profiteris? MIS. Nullam, sed sum Philosophus. CHR. Non noua mihi aut inaudita prorsus Philosophi est appellatio, sed nominis uim rationemq́ desidero. Cedo igitur, quid est Philosophum esse? MIS. Eorũ quæ sunt in uita, quæ contingunt fiuntq́ spectatorem, quasi in mercatis, et ludorum celebritatibus, nihil aliud agentem hominem cum occupentur cæteri. CHR. Fucum mihi descripsisti, nam et is, cæteris quidem apibus sub sole laborantibus, cellasq́ fabricantibus, ac mella conuectantibus, ignauus spectator sedet. MIS. Ne tu inclementer dixeris Chrysi præclaro nomini, fuci.n.si simus, Sophiæ tamen (quod et nomen indicat) amatores sumus. CHR. Ego quidem de nomine litem infero nullã. Sed si aliud nihil q̃ spectatorem Philosophum facis, dico ego aui illi simillimum eum esse, quam Dieperdam uulgo dicũt, Nam et illa quoq; stagnorũ superciliis insidens ociosa circũspectat,

Quid sit Philosophũ esse

Dieperda auis

donec uniuersum diem (unde illi cognomentum inditum) perdat. Num et ego quasi Arenarius spectatoris futurus sum seruus? MIS. Neque tu Chrysi, si quae in spectādo, contemplandóque uoluptas est, sensu tuo gustare posses, genus hoc uitae professionisque contemnendū adeo duceres. CHR. Ego quidem o Misopenes tabulas saepe cum Parrhasii, tum Apellis, saepe etiam Mironis, Polycletique signa contemplatus sum, Atque ubi ea oculis lustraui satis, uocesque illa laudantium auribus excepi, discessi tantisper laetus dum ea intuerer. Saepe etiam Regias mensas atque illam conquisitam undique epularum copiam nidoremque non oculis modo, uerum etiam naribus hausi meis. Sic forma praestantium quoque uirginum facies interdum admirans, uoluptatis nō nihil cepi, dum in illas defixis luminibus haererem. Verum cum inde discedentem me, nec imagines, statuaeue meliorem fecerunt, Nec splendidae regum coenae

Similitudo

esuriem ademerunt, solumq; lecto accubantem me, ac totis lumbis ad puellaris formæ memoriam ardentem uidi, Tum me non uoluptatis modo quicq̃, sed molestiæ dolorisq; occupauit plurimum, adeo nullam ego in spectando uoluptatem censui neq; censeo, nisi quæ utilitatem quoq; simul afferat. MIS. Non ne ego dicebã Chrysi, cum te gigantem, Iouemq; faceres, difficile esse seruili ingenio hominem solertem esse? Tu illam spectatiuam uoluptatem quæ oculis et corpore queritur dixisse me putas, At ego ueram illam summamq; autumabam, quæ animo menteq; et internis quibusdam oculis concipitur. CHR. At quænam est ea Misopenes? Humanum ego domicilium hoc sæpe audiui fenestris quinq; adapertum esse, Easq; solas esse uoluptates, quæ per eas ad animũ admittantur, Iis uero obseratis, uel sublatis, nullas esse. MIS. Initia quidem o Chrysi per eas uoluptatum ad animum usq; pertingunt,

Sensoria quinque

pertingunt, sed ubi eo applicuerint, Reiectis cæteris, sola illa uera solidaq; uoluptas in illo permanet, quæ ex naturalis ueritatis speculatione proficiscitur. Ea quæ illa Sophia est, qua maxime Philosophi spectatoresq; dicimur, Verisq; maxime uoluptatibus frui possumus. CHR. Mouisti risum Misopenes, qui nos seruili ingenio esse dicis uenalia mancipia, cum non seruili modo, sed hebetissimo te esse palam indices, pugnantia, atq; impossibilia proferens. Quonam etenim pacto contemplari ueritatem eam quisq; potest, quæ (ut uetustissimum quendam uatẽ scripsisse audio) celata manet homines haud cognita cuiq;: nãq; illã Superi secũ tenuere latentem. Quid est quod per speculũ in ænigmate uidere Philosophus possit, cuius oculus ad ea etiã quæ in natura maxime nuda apertaq; sunt, (non secus ac uespertilionis ad solares radios) hebes mancusq; sit? Nonne ueritatẽ profundissimis atq; inaccessis

Hesiodum

Inuestigabilis ueritas atque inabstrusa

puteis latitantem, mortales a priscis etiam sæculis uestigantes in casum laborarunt? MIS. Vera esse non inficior Chrysi quæ disseris, sed non usq; adeo illa abstrusa est, ut non aliquis saltem uel hallucinantibus nobis radiolus eius affulgeat. Ex nostris uero quidam longe prudens Aristoteles amplius oblectari se ait exigua eorum parte, quæ leuiter quoq; de maximis naturæ secretis attigit, q̃ si cuncta alia tenuisset, queadmodum amatæ puellæ digitulus iucundius uidetur, q̃ si cæterorum hominum mebra tota inspiciatur cotrectetur'q;. CHR. Inepte sane, quisquis ille Aristoteles fuerit, qui tenuem atq; ambiguam adeo scintillam tantis studiis, tãto labore, atq; apparatu consectandam putauerit, quæ uasto hoc mortalis inscitiæ pelago non aliud momentum allatura sit, q̃ oceano salis grumus, atq; ideo cum te Sophiæ, hoc est (sicuti ego existimo) sapientiæ amatorem nuncupes, Non uideo quid prosit amatore

Aristoteles

Sophia sapiẽtia

te esse, ubi iam quid ames nescias, aut si quicquam uel exiguum notione comprehendis, eo potiri nō possis, Inutilis ergo prorsus uestra ista redditur tā appellatio, quam amandi spectandique professio. MIS. Obsecro mi Chrysi, Athenis ne an Alexandriæ eruditus es, qui argute adeo Philosophū uellices? CHR. Ego Athenas, Alexandriamúe studiorum gratia profectus sum nunquam, neque litteras unquam didici, sed mortalibus multis opem prestiti non exiguā, qua litteratissimi facti sunt et habiti, immo uero nonnullos adeo meo præsidio pollentes feci, ut cum rudes, ignaui, indoctique perseuerauerint, peritissimi tamen apparuerint, honoresque acceperint uulgo maximos, Ita ut transeuntibus ipsis nudarint capita contribules sui, ac de semita cesserint. MIS. Mirabiliora etiam nunc narras, quam quæ nuper uires tuas prædicās Chrysi. Verum quando bonum adeo consecutus es geniū, pergam ego ut intelligas quid sit Philosophū esse

Athenæ

Alexandria

Quid sit philosophū esse

ob eamqꝫ rem dignissimũ me putes, qui tibi im-
perem, cum te meum fecero, exigua aut certe
nulla professionis nostræ pars est, quæ in spe
ctando speculandóqꝫ uersatur. Verũ aliã ma-
iorẽ longe ac difficiliorẽ nobis proponimus, sicut
duas quoqꝫ animo nostro partes uiresq́ꝫ habe-
mus congenitas, quibus actuũ nostrorũ omniũ
initia, progressus, finesqꝫ dirigũtur. Nam neqꝫ
Intellectus intelligere, nosseqꝫ prodest quicq̃ (quod mentis
Voluntas maxime proprium est) nisi ea quoqꝫ quæ uera
(atqꝫ ideo bona) esse concepimus, et uelimus pa
riter et agamus, quod appetitu quidem volunta-
téqꝫ conficitur, ea autem pauca adeo sunt, adeo
nuda, adeo aperta, adeo simplicia, adeo nobis a
natura ipsa insita, genuináqꝫ, ut etiam sine litte-
ris, sine disciplina adipisci omnibus sit facile,
Ac neqꝫ Athenis, neqꝫ Alexandria, nec tãtis
doctorum gregibus opus sit, sed uolũtate. Hoc
Socrates me ex nostris multi cum docuerint, Socrates
tamen quidam nobis insusurrauit primus, qui

tum perfectũ Philosophiæ opus esse dixit, ubi quis sibi persuasisset, nihil malle q̄ bonũ fieri. CHR. Perspicue ergo nunc planeq́ꝫ intelligo Misopenes. Vita ergo Philosophum facit, non doctrina. MIS. Ita est ut uerũ fatear Chrysi, neqꝫ.n.(quã amare sectariq́ꝫ profitemur) Sophia illa scientia constat, sed magis bonæ mentis cõsciẽtia. CHR. Hoc animo mihi nostræ uis quædã intestina suggerebat, Atqꝫ ideo cum tumidos istos atqꝫ inflatos nouo quodã ornatu fastuq́ꝫ gradientes, tum linguæ uolubilitate fluxaq́ꝫ loquẽtia Pythagorã Platonemq́ꝫ sẽper resonantes audiebã, Alios itẽ contortis quibusdã atqꝫ inextricabilibus disputationum ambagibus de ueri falsiq́ꝫ ratione, et de terrestri, sublimi, cœlestiq́ꝫ natura inuicem semper ad probra usqꝫ et insaniam digladiantes uidebam, adduci nunq̄ poteram ut hos Philosophos crederem, Aliudqꝫ esse suspicabar, quod ratiõabilius peti ab iis oporteret, q̄ inanem hũc uerborum stre-

Vita non doctrina Conscientia non scientia Philosophũ facit

Non disputationibus Philosophi

pitum, falsamq; adeptæ ueritatis opinionem. Verum euge Misopenes, bonis (si uoles) auibus in mercatũ uenisti hodie, Quandoquidem illã ipsam quam amare tantopere te prædicas Sophiam hic mecum uenalem uides. Ecca ipsa est. Tu illam cura mecum pariter ut ueneat, beatissimus futurus prorsus, si ambo tibi seruiamus, tuq; nobis herus, nos tibi simus mancipia. MIS. Id primum curemus Chrysi quo pacto te meum faciam, nam si te habeam probũ adeo ac ualentem seruum, nihil est quod Sophiam quæram, sed neq; argentum mihi est, nec nũmatus adeo huc ueni, ut duo simul comparare possim mancipia. CHR. At argento (ut dixi) opus non est si me petis, Cõseruam uero (tantum abest ut pecunia opus sit) nisi argentũ abs te abdices, empturus nõ es. MIS. Quãdo tam uili et ea comparari potest, emptionem aggrediar, si prius pauca emptorum more perquisiero. Salue Sophia, formæ iniuriam facis, nam

Misopenis et Sophiæ colloquio.

bella adeo cũ sis, hispidus iste, incomptus, agrestisq́ cultus, uendibilẽ minus facere uidetur. Cur caput quasi personata obnubis, faciemq́ obũbras crinibus? SOPHIA. Sæpe hospes aperta facie in publicum prodii, sæpe formæ periculum feci, nosse pariter cupiens mortaliũ de me iudicium, Id haud cessit prospere. Nam fustibus saxisq́ pulsata, ferro etiam flãmisq́ impetita, intempestiuæ ostentationis pœnas dedi, ita delitescere satius uisum fuit, atq́ operiri si quis paulo sanior adueniat, qui nec turbæ concinat, nec me quasi insanam spernat. MIS. Factum probe. Cæterum amaui ego te Sophia, tametsi nunq̃ cõminus uiderim, et nunc etiam amare me fateor, ac uenisse quo te mihi comparem, si te talem inuenero, qualem isti prædicant, qui tam multa tuis laudibus uolumina dicauerunt, quare alleua (si placet) faciem, ac respõde. Vnde tibi origo, genusq́ est? SOPH. Genus mihi uetustissimũ. Ante mare, et ter- Genus et patria Sophiæ

Æternitas ras, et quod tenet omnia cœlum, Patria uero Aeonia. MIS. Nulla tibi (ut uideo) nobilitas æquari potest. Verũ agamus paucis, ancilla mihi opus est, quæ neat, texat, pensum faciat ædis uerrat, quottidianum familiæ cibum coquat, Nun tu ista procurabis docte? SOPH. Nihil. MIS. Nun uernulas scies mihi parere si te seruo cuipiam in contubernium dedero? SOPH. Nihil. MIS. At uxorem saltem foris comitaberis pedissequa, Domi uero penarium custodies? SOPH. Nihil. MIS. Non ex usu nostro serua hæc est Chrysi. Age Sophia responde obsecro pluribus, nam nihil istud, nihil est. Quod nam tibi negocium transigendum dabo, si te emero? quid est quod scias facere? SOPH. Omnia. MIS. Quin tu istam orationem perplexabilem amoue Sophia, nã inter nihil atq; omnia rata nulla cadit ratio.

Nihil Omnia

quid est inq; quod peculiarius de te ipsa polliceri possis? SOPH. Imperare. MIS. Imperare,

rare? Hoc dominorum, non ancillarum est propriũ. Verũ tuo ex imperio quid mihi nanciscar commodi? SOPH. Honores, famam, uoluptates, diuitias, uirtutem, ueritatemq́ꝫ, atqꝫ hæc immortalia æterna, quæ nec auris audiuit, nec uidit oculus, atqꝫ illud primũ imperabo, ut hunc de se ipso iactabundum Chrysium abiicias, neqꝫ eum tibi familiarem facias. CHR. Indigebis, si me abiicis Misopenes. MIS. Atqui mori melius q̃ indigere. Verũ age Sophia, Hæc õia mihi iampridem pollicitus est Chrysius, cur nõ ambo mecum pariter atqꝫ amice commoramini, atqꝫ ea agitis quæ frugi mancipia parare dominis solent? SOPH. Quia congenitæ nobis inimicitiæ sũt, eaqꝫ utriqꝫ naturalis peruicacia, ut agente altero uiresq́ꝫ suas expediente, subsidat alter, atqꝫ imbecillus fiat, nihil uero est quod rem familiarem domumq́ꝫ exagitet magis, q̃ perpetuæ seruorum rixæ, ita ut hærus ipse sibi dissidere cogatur, conflictariq́ꝫ semper in-

trinsecus. MIS. Recte tu quidē Sophia, sed si ego te praeoptauero, Chrysiumq́ non emam quando mihi ista quae polliceris praestabis? uides ut praesenti opus sit praesidio, nudo atq; esurienti homini. SOPH. Tempori tibi ista conferentur, ac cum esse desieris. CHR. At ego tibi o Misopenes ista actutū confestimq́ praestabo, ita ut repente fortunatū te, beatumq́ homines dicant, salutent, comitentur, deducāt, assentiantur, arrideant, mittant munera, ad coenam uocent, excapitientur, ingeniculenturq́, paresq́ tibi pene ac diis immortalibus honores exhibeant. MIS. Saepe ego audiui Sophia, Hodierna crastinis meliora esse, meliusq́ sibi consulere homines uulgo dictitant.

Quando sapientis foelicitas

Si quācunq́ deus sibi fortunauerit horam
Grata sumant manu, nec dulcia in annū differant. Multa mihi ac magna, et uiuenti et repentiña (ut uides) pollicetur Chrysius, Amaui te (non negabo) Sophia, sed auribus, Ingens nāq;

te laudantium turba permouit, nūc cum te præsentem intueor futura, incerta, longinqua promittētem, simulq́ animo subit, quod eos qui tibi maxime obsequentes fuisse dicantur, Egentes calamitosos, afflictos uiderim, et (quod contra fieri oportuit, diuitum ianuas semper frequentantes, quo sibi necessaria mendicarent, non possum et ipse præsentibus necessitatibus non moueri, atq́ auxilium, qua datur sumere. Me quoq́ memini, dum te nimium (ac plus forte q̃ᵖ uulgaris usus postulet) studio linguaq́ consectarer, et quæ tibi grata esse didiceram, animi libertatem, generosos spiritus, popularis auræ contemptum, ueritatis diligentiam, uanitatis horrorem, inscitiæ, ignauiæ, fraudisq́ despectum præmeferrem atq́ in familiarem usum uerterem, Omnia mihi aduersa cōtigisse, nam et regum supercilia, et aulicorum canum latratus, et ianitorum contumelias, et potentiorum fastus, et diuitum repulsas, et iudicum

Sapientum propria

Male mulctantur sapientes

iniurias, et uulgi insaniam expertus sum, Tum exilium, egestatem, uincula, fortunarumque direptionē perpessus, atque hæc Minerua ipsa, teque inspectantibus, opemque nullam, et subsidium nullum clienti uestro ferētibus. Quænā igitur iusta accusatiōis tibi superest causa, si fessus atque extreme nimium indigens, hæc omnia lenientem Chrysium, leuantemque demiror, atque in seruitium adsciscere quibuscunque rationibus nitor? SOPH. Simile quiddam tibi eueniet, si me deseris Misopenes, quod de uia sitienti homini quandoque euenit, qui tam et si purum liquidumque suauissimi fontis liquorē in uicino esse doceant comites, atque ideo perferendum, durandumque esse suadeant donec ad eum peruenerit, ille impatiens tamen, oblatam turbidam fœculentamque qualemcunque de lacunis aquam ingurgitat. Splendidum hoc præterea per quod longe notus per doctorum hominum ora uolitabas interibit nomen, proque Philosopho, Phi-

Similitudo

lochrysium inuisum cœlo cognomentum sumes, sed nec felicius potieris uoto forsitan Misopenes. Nam et hunc quem blandum adeo, ac comparatu facilem putas, quemq; et ipsa, magnum esse ad fælicitatem (non inficior) instrumentũ (si uti sciant) neq; adipisceris, neq; abduces unq̃, neq; ulla ratione tuũ facies, nisi primigeniæ Fortunæ perfusus numine, maternis latebris in lucem prodiisti, aliter non uiribus ullis, non dolo, nec duro poteris cõuellere ferro, atq; hæc puta tibi uatẽ dixisse. Quamobrem attolle oculos (si placet) et nunc quando uenalis tibi ultro offeror ancilla, quãq; uel solo Nomo comparare potes, eme (si sapis) atq; oblatam occasionem arripe. MIS. At id facile factu est, Si nũmo uenire potes, mora nulla fiet, emeris. SOPH. Nomo ego dixi cõparari me posse, non nummo. MIS. Sed neq; Nomi quale nomisma sit exploratum est satis mihi, neq; primigeniã quã memoras fortunã noui. Ac nescio

Fortuna primigenia

Nomus

Sphinges
Dolus
Nomus

quo pacto incidi ego in conuolulos istos, nam neq; serui mihi dedisse hodie uidentur uerba, sed Sphinges, ita Doli Nomiq; inaudita mone tæ nomina obtendistis, tũ subobscuris quãdã ambagibus respõsa nuscuistis, quæ me quasi Phanaticum reddunt, incertumq; prorsus faciunt, quem mihi ex uobis comparem, cum interea esu rire ipse nõ desinam. Sed certũ est quid agam,

Tali

Alea, talisq; sortiar auspicaborq;, quem mihi ex uobis seruientem uelim fieri, Affer propere huc talos Mango, Ecce mihi tali tres sunt in manibus, unus ego cum sim, quasi duo simus, Per leuigatã hanc mensam, hos iaciam, dextræ

Hercules Thesaurorũ deus
Minerua sapientiae dea

nomẽ Herculis indicabitur, nam et is Chrysio, thesaurisq; designatus est deus, læuam Mineruam dicam, quando illam Sophiæ ducem, patronamq; esse autumãt, Dextra igitur primũ iaciam. Adsta propitiate Hercules basilice,

Venus

Iactaui prospere, Venus me Hercle produt, nunc læua talos mittat, Adsta armipotens.

Minerua, quid nã est? Canis est. Vicisti Her- Canis
cules. Salue saluator Hercules, Chrysiũ nobis
incolumẽ serua, Probum officiosum, curacem,
uigilacemq; effice nobis seruum, iam ego hinc
abeo, atq; hunc mihi abduco dextro Hercule
Chrysium, Mango, Precium græca fide per
soluam, Tu uale dum redeo Sophia. Ita Chry
sium manu capiẽs festinus abibat Misopenes,
sed et ipse manum continuo iniecit Mango, atq;
abduci uetuit, nobiliora mancipia exportari de
prouincia posse negans, ni Fortunã Deã prius
emptor exorauerit. Eã cũ adisset Misopenes,
inexorabilẽ nactus (quippe quæ adamantinis
fatalium rationum inspectis libris eius nomen
nusq̃ scriptum inuenisset) deos deasq; omnis
qui nascenti affuissent incusans, Rursus Her-
culem precabatur, ut fortunã (qui cætera quoq;
monstra domuisset) beniuolentem redderet,
Id se facturũ (qua est uirtute) recepit Hercu-
les, lætumq; cum Chrysio Misopenem dimisit,

qui marmoream columnam ſubinde foro ſta-
tuens, Honoris et memoriæ cauſa, Hunc illi
Titulum (qui nunc quoq; extat) inſculpſit.

HERCVLI VICTORI
QVOD SORTEM
MELIOREM FECERIT
FORTVNAMQ
EX INFENSA PACATAM
PROPITIAMQ
REDDIDERIT
MISOPENES PENIATES
NVMINI
MAIESTATIQ EIVS
DICATISSIMVS

VOTO SVSCEPTO

ARGVMENTVM

Pro ueritate pugnanti, tam uulgaris calumnia quam uanitas ipsa contemnenda est, In quo quidem indignationis deæ, Sacer filius Momus, salutaris reprehensor, ueriq; propugnator Deus, Bonis uiris colendus adorandusq; est.

Pandulphi Collenucii Iurisconsulti, ad
Illustrissimum Herculem, Ferrariensium Ducem Inclytum,
Apologus, cui
Titulus

A L I T H I A

g Raues quondam ALITHIA, cum VANITATE inimicitias exercuerat, et cū magnis utraq; uiribus pollere uiderētur, ingentia insuper præmia iis qui alterutram partē sequerentur ostenderent, uniuersum pene orbem (magno gentium omnium malo) in se conuerterant, Et non priuatos homines modo, sed et ciuitates ipsas, prouintiasq;, et nationes, partium studia incenderant, aliis ALITHIAM, aliis VANITATEM inuocantibus. De genere primū contētiones ortæ sunt, utraq; in Deos genus referēte, Illa Iouem, Hæc ditem originis auctorē

iactante, Forma utriq; insignis, sed ad quã in-
tuentium oculi persæpe caligarent, uires amba-
bus auxiliarium copiarum, clientumq; longe di-
spares, Numero VANITAS, illa robo-
re præstare uidebatur, premia in propatulo
VANITAS ostentabat maxima, ad quæ
passim præcipites ferri omnes uidebãtur, diuiti-
as, uoluptates, honores, regna. ALITHIA
clausam præferebat arculam, quã sacrã uoca-
bat, Auro gemmisq; fabrefactam, in qua feli-
citas sapientum opinione conclusa esset, ægre,
paucisq; percognita. Tentauere pleriq; magni
atq; insignes uiri, inter illustres fœminas pacẽ,
ꝙ ea res ad publicam salutem pertinere uidere-
tur, Id cum non procederet, concilio Procerum
indicto, req; magnis cõtentionibus acta, Hæ
tandem patrũ decreto conditiones sunt dictæ,
Cõuenirent utraq; ad condictam diem, cõmunẽ
sibi iudicem deligerent, Exercitum ꝗtis maxi-
me possent uiribus comperarent, Arma sibi

quisque pro arbitrio sumeret, pugnam impigre pugnarent, premia utrique pro dignitate essent, Relegatio uictæ, uictrici laurea. Cũ placuisset conditiones ad SIDEROPOLIN, pugnæ locus nũcupatus est. De iudice diutius agitatum, In HERCVLEM tandem summo consensu totius rei arbitrium relatum est, Qui præter quod monstrorũ domitor insignis esset, atque ætate uenerabilis, Rerum usu quoque ac sapientia, per ea tẽpora sine ulla dubitatione præcelleret. Cum in campum ad diem dictam (ea solis fuit) descendissent, operæprecium fuit utriusque cum ornatum tum comitatum uidere. VANITATI apparatus splendidus fulgens, et qui oculos quoque præstringeret, uermiculato opere, Polymitanóque crustatus, Emblematis picturisque oblectans, Armorum (quæ coriis, arborumque corticibus, et papiracea interdum textura constarent) auratis bratteis, et coloribus mille superficies oblita. Ipsa personata,

enormi facie, ad græcanicam ferme speciem, FASTVM pone et SVADELAM, quos præire iusserat, procedebat. Comitabantur turmatim undiq; miro spectantium plausu, Astrologi, Genethliaci, Chaldei, Chymistæ, impostores, legulci, causidici, sophistæ, circulatores, Magi, Græculi, interpolatores, Historici, ii præcipue qui uiuentium regum texunt historias, et poetarum plurimi. Tum ignobilior quædam augurum, coniectorumq; turba, Adulatorũ item atq; Ardelionum, et sexcẽta huiusmodi sequebantur monstra, Gigantes etiã quosdam affuisse fama est, Vltimum claudebant agmen, Superstitione duce, Phantasmata, lemures, umbræ, imagines, laruæq; multiplices, et stolidarum opinionum confertissimi cunei, Gladius nulli, nulli claua, uel bipennis fuit, Arcus tantum, tum nocturna et clancularia passim tela, hami, fuscinæ, decipulæ, laquei, harpagones, unci, tendiculæ, fisci, uiscatæ uir-

gulæ, milleq; huiusmodi. Signũ illis bubo fuit. ALITHIA, contra generosam ductabat aciem. Solis imaginem insigni uexillo præferentem, quietam, imperturbatam, toruam, solido metallo, siue id aurum, siue æs, siue argentum esset; instructam, intecta omnibus capita, Thoraces ænei, nudi pedes, acutissimus dextram armabat gladius, læuam codices qui clypei uice fungerentur. Ornabant aduentitio nullo cultu, nisi q; uittis quæ crines circũnecteret Adamas ad frontis summũ affixus collucebat. Ipsa quadrato incedens agmine FIDEM inter ac DILIGENTIAM media conspiciebatur, procero corpore, habitu prope diuino, ueste candida, sed perspicua, per quã cœlo demeans color, et membrorum puritas appareret, Fronte hilari, nudis lacertis, stellato uertice, acie oculorum (qui magni apertiq; essent) acri, claráq;, crinibus per corpus omne diffusis (radiorum instar solis) omnia collustrãtibus, qui

turbæ uisus hebetarent, uulgaresq; conspectus eluderent, Præfecti Tribuniq; miro ordine ac silentio sequebantur, hos legum latores, populorumq; Duces, Physici quoq;, et nobilioris sectæ Philosophi, Iurisconsulti, Imperatores, milites'q; fidissimi, sed et Regũ optimi, et Medicorum præstantissimi, quin etiam (et quod magis mirere) agrorum cultores plurimi, et qui pastoralem uiuunt uitam, Architecti quoq;, Machinatores, et nobilium artificum cohors, inuentas et qui uitam excoluere per artes, inter clientes numerabantur, His immixtus suo ordine, uenerabilis ac pudicus Musarum chorus, nexis in gyrum uicissim manibus, Poeana canens, et Phalangem lustrans circũibat, Impedimenta his nulla, externi comites nulli, Primam tantũ ante aciem MOMVS, quem MERCVRIO et NEMESI satum dicerent sublimis ferebatur, atq; (ut est oculatissimus deus) hostium consilia, gressus, artesq; omnes, speculabundus

culabundus obseruabat, Ad hunc modum cum instructæ acies parataeque essent, magno gentiũ omniũ populorumque spectaculo, Dato utrinque signo, Atrox conseruerunt prelium, Maxime uero circa principia concursus factus est, Antesignanis qui Vanitatis ordines ductabãt, magno strepitu, et dissonis frementium uocibus ALITHIAM petentibus, neque .n. difficilem sublato duce reliquam uictoriam putabant. ALITHIAE præfecti egregiam pro se quisque nauabant operam, sed statariæ pugnæ persimilem, Verum MOMVS strenue pugnando, inter primos terrorem inferebat, atque ingenti clamitans uoce, Ita ne (aiebat) surda monstra, fœdissimæ sæculorum pestes, Sacrosanctũ ALITHIAE Numen impetitis? simulque infestis cõcurrens armis, captis cæsisque plurimis, tela perfringere, abrumpere, detruncare, et personas, quibus hostium uultus tegerentur, capitibus demere gaudebat, et palam quid

quisq; esset ostēdere, ne quis deinceps lamiarū terriculamenta pauesceret, Centimanum hunc fuisse ferunt bellacissimū deū, acrē, constātem, contemptorē, intrepidū, libere pronunciantē, ad omnē uani, praui, falsiq; suspitionē, presentissimi sensus, tenerū, irritabilemq;, et qui se quoq; diis genitū meminisset. Ad extremū cum ad uesperū usq; pugnatū esset, hostes fusi, fugatiq; sunt, VANITAS capta, Ea cū in conspectum uenisset HERCVLIS, qui e sublimi suggestu, acerrimi iudicii arbiter, certamē omne spectauerat, Blanda et sagax fœmina, apud ipsum dari sibi honestum aliquem precabatur locum. ALITHIA contra relegari illam ex fœdere, uel sibi tradi iure belli deposcebat. Tum HERCVLES facto per preconem silentio, sonora uoce et quam omnis multitudo haurire posset, in hunc modum uerba fecit. Alithiæ, forti fœminæ, meritoq; Victrici Lauream deberi denūcio, Eam apud me esse in

perpetuũ iubeo. Momum illi, quando strenue eius partes tutatus est, uirum trado, Vanitati liberũ exilium, atq; apud uulgus hospitium esse permitto. Vulgus autẽ nõ uestis distinguat, nõ genus, nõ honor, non census, sed animus. Hæc cum intonuisset HERCVLES, Proceresq; probassent, De ALITHIAE, MOmiq; coniugio mussare quidã, atq; addubitare uisi sũt uates, q ex eo Odium Filium parituram esse quandoq; ALIthiam presagirent, tum VRania musarũ sapientissima, non ideo minus probandum coniugiũ esse dicebat, Nam et nos (inquit) Iouis filiæ inter VANItatis comites ODIum uulgo dicauimus, ALIthiam uero Momumq; cœlo iampridem sacrauimus, Ex eo templũ ALITHIAE dicatũ, cuius sũmo fastigio grandibus plane, ac conspicuis litteris huiusmodi Titulus insculptus est

SVSQVEDEQVE

ARGVMENTVM

Ingentis eius Bombardæ impetus, quo terribilius nihil, ars unquam inuenit, in ea quæ de uacuo et inani feruntur rationem referendam esse.

Pandulphi Collenucii Iurisconsulti, ad Illustrissimum Principem Herculem, Ferrariensium Ducem Inclytum, Apologus, cui Titulus

BOMBARDA

CVm Vrbem sibi quandoque ædificasset PHRONIMVS, eamque optimis institutis fundasset et legibus, eius quoque tuendæ cura, ab externorũ, finitimorumque iniuriis angebatur, Eos ergo qui per ea tempora Sophistarum primi haberentur, consulere statuit. HERACLETVM inter primos præstare, tum cæteris fama erat, Huic Ephesus patria fuit, cognomen tum Scotinos, quod sententias suas obscurius (ne uulgo contemptibilis fieret) pronunciabat, Interrogauit ergo eum PHRONIMVS, Quid esset, quod ad hostium uim arcendam

maxime polleret. Si ouum (inquit SCOTI-
NOS) inspexeris, Atque abiit. Cũ uolutasset
animo diutius PHRONIMVS quid sibi
oui Symbolum uellet, nec tamen assequeretur,
Ad DIOGENEM Sinopæum, Cynicæ
hæreseos clarissimum professorem contendit.
Is uiuendi libertatẽ naturæ cõsentaneã adama-
bat, Semperque aliud agenti similis, uix uerbum
ullum quod nõ perplexabile esset respondebat.
Hunc igitur tum forte ad fontem sedentem ca-
staneisque uescentem rogauit. Quid esset quod
hostes ab urbe quã ædificaret absterrere pos-
set. Hanc DIOGENES inquit interroga,
manuque extenta castaneam ostendit, simulque
hominẽ ab se dimisit. Tũ discedens PHRO-
NIMVS, ac Sophistarũ ambages, ouumque
et Castaneam seque ipsum qui illos interrogas-
set accusans, Vrbium custodem PALLA-
DEN mirificam deam adire statuit, Arcem
igitur cũ ascendisset PALLADIS, ac no-

ctua Draconeq; litasset, Qua maxime ratione hostem mœnibus arcere posset cōsulebat. Respondit numen, Tum maxime uoti compotem futurum PHRONIMVM, cū oblatum soluisset ænigma. Id erat huiusmodi.

Vulcanus genuit, Peperit natura, Minerua
Edocuit, nutrix ars fuit atq; dies.
Vis mea de nihilo est. tria dāt mihi corpora pa-
Sunt nati, strages, Ira, ruina, fragor. (ctū.
Dic hospes quid sim? Nū terræ, an bellua pōti,
An neutrū? aut quo sim facta, uel orta modo?

Aenigma cum accepisset PHRONimus, ac peruagatis late regionibus, quænam deæ sententia, quidúe id monstri esset, cum uarias sortes, tum disciplinarum quoq; studiosos percontasset, Nec tamen interpretamentū inuenisset, Oraculi anxius, Expertos (inquit) interrogare satius est q̄ scientes, uel deos. Nam et Sophistæ ludificant, Dii uero non omnibus se se intuendos prebent, Ab HERCVLE igitur

sciscitari placuit. HERCVLES magnis exanclatis laboribus, magnam sibi comperauerat, non fortitudinis modo (qua omnes antecelleret) sed usus quoque ac sapientiæ gloriam, et (quod celsi animi indicium esse præcipuũ solet) adeuntibus se facillimum Comemq; præbebat. Eum igitur PHRONIMVS, de scirpi enodatione cum rogasset, grauissima oratione atque ex Mineruæ ipsius sanctuariis deprompta ad hunc maxime modum respondit.

Natura cum sibi rerum omnium imperiũ uindicasset, Et nõ omnes (quod in aulis principum euenire solet) eundem dignitatis et gratiæ locũ apud ipsam tenerent, Artem, Fortunam, tranquillitatem, immortalitatem, multos etiam melioris notæ deos (ut est in plerisque nouerca) inuisos habebat. VACVVM uero in primis amaro atque implacabili persequebatur odio, cũ quo quidẽ ab ineunte ætate nihil quicquã unquã penitus cõuenerat, Quin et nomẽ ipsum quoque

horrere uidebatur, Dato etiam IVNONI, NEPTVNO, Eoloq; uehemẽtissimis diis negocio, ut illud quantis maxime uiribus possent, insequerentur, fugarent, pellerent, et ne momento quidem consistendi spacium præberent, ac si fieri posset, occiderent. Ita cum quottidianis prope præliis decertarent, fessumq; tandem calamitatibus VACVVM pacem desperaret, VVLCANI ualentissimi Dei implorauit opem. Is cũ VACVI patrociniũ recepisset, Astu aduersus potentissimam deam agendum ratus, Primum quidem æneam sibi sine ullis fenestris uaporariisúe ædificauit domũ, Ac suspitionis uitandæ gratia, ne quis quid moliretur intelligeret, remq; ad IVNONEM deferret (ea.n. maxime præsẽtissima Dea VACVVM, necubi latere posset obseruabat) in ipsis domus penetralibus, quicquid in escam, cibatumq; opportunum esse uisum fuit comportauit, constipauitq; (Id tribus

ex rebus confectum fuisse pabulum ferunt) Ianuam uero grandibus saxis, adactisq; ui cuneis firmissime obstruxit, ut nullus prorsus aditus conspectusúe pateret in intimum penetrandi, per Posticum inde (quod angustissimũ effinxerat) ingressurus sequi se clãculũ VACVVM iussit, nec ab se tantillum dimoueri, Monens ut cum esculentis omnibus absumptis, Inanis ea pars domus, qua illa reconderat, futura appareret, Ipse eorum locum actutum occuparet, Ibiq; delitesceret, quietissimam ei sedem illam futuram dictitans, ut quæ NATVRAE oculis imperuia, tum firma, tum obserata esset. Cum de compacto igitur in posticũ descendissent, VVLCANVS (ut est uoracissimus deus) adauctis uiribus Annonam confestim omnem (quippe quæ uel momento consumptibilis erat) abliguriuit, Occupaturus aditum, locumq; comes cõtinuo subsequtus est, uix primũ pedem intulerat VACVVM

in annonæ penum, cum patefactis insidiis IVNO ingenti tumultu hostem opprimere festinans affuit, Sed quod Ianua saxorũ mole septa esset, Postici uero custodiæ, fumũ scintillasq; VVLCANVS ad arcendã IVNONIS rabiem opposuerat, omnis in irritum conatus cecidit. Cum ergo in tuto esse iam VACVVM, nec expugnari posse uideretur, Indignata NATVRA, Ast ego inquit quãdo VVLCANI dolis impetimur, Ipsa in certamen descendam, nec per legatos rem geram amplius. Ita ingens ipsa et natiuo robore, Terrificum numen, uniuerso maiestatis impetu properans, In mediam irrupit æneã VVLCANI domum, ac ruptis obiicibus et longe lateq; disiectis, quæ obstabant saxis, uasto fragore, Tonitrui ferme instar, et qui finitimos etiã terreret populos, latitans obtruncauit VACVVM, ac liberam IVNONI sedem relinquens, VVLCANVM

Siliceo damnauit carceri, lege dicta, ne quis eũ inde, nisi ferreis uerberibus excitũ dimitteret, Et si quando VACVI suspitionẽ admitteret, capitale ei esset, ex eo VVLCANVS ubi VACVVM adesse sentit, nisi perfugio exitus detur, emoritur.

Cum finem dicẽdi fecisset HERCVLES, et non tam NATVRAE ipsius numen, potestatemq́; , q̃ secreta dicentis mysteria mirarentur omnes, Magis ipse ac magis in ambiguo PHRONIMVS uersari uidebatur, Tum HERCVLES, Ast ego, inquit, Oraculum experimento dissoluam, et sacræ historiæ meæ Arcanum detegam, ut nec uana fuisse HERACLETI Diogenisq́; commenta deprehendas, Tresq; ædificari æneas domos protinus iussit, ad eam quam supra ædificasse VVLCANVM formam dixerat, Totiusq; illius pugnæ (ut gesta erat) speciem quasi per tragœdiã, repræsẽtauit, Eas subinde

TVTELAE *templo dicauit*. PHRONIMVM, *monens*, PROVIDENTIAM *deam colere, et ea quorum usus in asperis futurus esset in prosperis parare*, Ita *(inquies) merito dicere* PHRONIMVS.

EDICTO CLEMENTIS VII PONT. OPT. MAX

Vetitum est, ne quis, aut Impressor, aut Bibliopola, hunc librum, aliosúe quoslibet in officina libraria Ludouici Vicentini primum excussos, excudendosúe, intra proximum Decennium uspiam gentium imprimat uel ab aliis temere forsan impressos uendat, aut uenales teneat. Quiq; secus fecerint, et auro mulctabuntur, et Anathema, pœnasq; alias incurrent, quæ Principis Diplomate continentur.

IMPRESSVM ROMAE
Per Ludouicum Henricum Vicentinum
Anno Christianæ Salutis
MDXXVI

REGISTRVM

ABCDEFGHIKLMNO
Omnes Sunt Bini